





1
6
509










+

Vincentij Meliorati Remigij F. καὶ τῶν φίλων :~

XV

FONS

720




RODERICI A FONSECA
Lusitani Olysiponensis, Medi-
cinam in PISANA Acade-
mia publice profitentis, de
Calculorum remedijs,
qui in renibus
et uesica
gignunt
1/6/509
LIBRI DVO
AD SIXTVM V. PONT.
MAX. ET FELICISS.
Romæ
Apud Jo. Angelum
Ruffinellum.
Superiorum
pmissu.
1586
720



SIXTO HVIVS NOMINIS QVINTO, Pont. Max. ac Fœlicissimo.



RODERICVS A FONSECA.



Ractationem, Beatissime Pater, *de renum & vesicæ calculo, quam ad ingenij exercitationem, quanta maiori potui diligentia ex optimorum medicorum scriptis, & Hippocratis imprimis auctoris grauissimi sententia collegeram, non eo consilio nunc tibi mitto, vt tam leui munusculo summi Christianorum Principis gratiam quasi aucupari*

vel sperem vel studeam. Illud vere potissimũ in causa fuit: commune scilicet bonorum omnium gaudium, quod ex instituto tuo in republica gubernanda omnibus, qui eam saluam cupiunt quotidie oboritur. Constans enim ista ac seuera in malis hominibus puniendis ac coercendis iustitia, & vigilantia necnon perdiligens omnium rerum cura, & solicitudo atque in operibus publicis magnificentia, eum te principem facile testantur qualem sibi optandum optimus quisque cogitat, quo sane gaudio cum & ipse non mediocriter sim affectus, silentio tantam commotionis vim amplius præterire non potui. Ideoq. qualemcumque occasionem mihi arripiendam statui modo id publice testificando animo satisfacerem: quare cum procliuior oportunitas non occurreret, librum ædere decreui, quo in operis quasi præfatione id imprimis mihi assequi quodammodo liceret, vt scilicet, PATER BEATISSIME, palam te alloquendi animi mei sensum aperte patefacerem: Gratulor itaque tibi mirum in modum quod eo loco positus sis, vnde merito communis pax & quies est expectanda, istam ægregiam animi dispositionem atque firmitatem tecum

attu-

attuleris: itemque pariter & vniuersæ Christianæ reipub. quod talem te Principem vel Patrem verius, sit consecuta. quo duce omnibus bonis tranquillam sibi ætatem sperare ac promittere liceat. Vale Pont. Opt. & diuctißime Viue, Deo, Tibi, tuis, & omnibus.

INDEX CAPITVM, QVAE in hoc operæ de Remedijs Calculorum, in duos libros partito, continentur.

CAPITA PRIMI LIBRI.

CA-

CAPITA SECVNDI LIBRI.

FINIS.



RODERICI A FONSECA

DE CALCVLORVM REMEDIIS.

Liber Primus.



LIBRI ARGVMENTVM
Caput Primum.



NSTITVTVM nobis est, hanc, quam præ manibus habemus de calculo tractationem non temere casuve (vt solet) sed methodica ratione ita examinare, vt absoluta, si fieri potest, vndequaque reddatur. Est autem methodus via & ratio recte agendi quidpiam. Cuius alia est vniuersalis, alia verò particularis. Vniuersalis methodus est via illa, per quam totam aliquam tractationem per resolutionem, seu compositionem, seu diffinitionem ad finem perducimus. Particularis autem methodus ea est, qua ita de peculiari re doctrinam instituimus, vt prius, quid nomen significet, explicemus: Deinde illam definia-

Gal. 1. art. Med. 1.

6. Metho

mus; postea diuidamus: Postremo vniuscuiusque partis proprietates explicemus. quo vtroque docendi modo in hoc tractatu vtemur. In vniuerso namque opere methodum resolutiuam adducemus, & in qua piam re particulari, particularē quoque explicandi rationem inueniemus. Quæ vero sit ipsius methodi vis ac natura ex eo patere arbitror, quod, quicunq. vnquā celebres doctrina extiterunt ob illius potissimū vsum tales euaserint tantū siquidē differt is, qui casu scribit ab eo, qui per methodum quantum cæcus à videnti, quantum denique lux à tenebris. Quod cum in ceteris facultatibus verum sit verissimum in medicina esse comperitur. Hanc enim solum per methodum inueniri posse ac doceri nequaquam vero sine ea attestatur Medicorum decus Hippocrates. Sine methodo namque quæ scribuntur vim suam omnem amittunt, cum illa vero pulchritudinem & perfectionem nasciscuntur. Quod re ipsa in hoc opere spero me ostensurum. *Bonus namque Medicus* (ait Hippocrates) *ex operibus iucundius quàm ex sermonibus ostendit, vt pote qui dicendo non magnopere exercitatus, multitudini fidem sinceriorem ex ijs, quæ videat quàm quæ audiat facere malit*. Ad rem igitur venientes, dicimus duo primo se nobis offerre in omni operatione finis, scilicet & media, quibus finis facile consequi possit. Finis autem nobis propositus est remedia afferre quibus Calculorum morbus, qui adeo homines infestare solet quo ad fieri potest, superetur. Media autem ad hunc finem assequendum binario numero comprehenduntur, qui enim remedia morbo alicui excogitat. Primo, morbi naturam cognoscat oportet: secundo vero videat, est necessarium num talis morbus ex illorum numero sit qui medici operam desiderant. Calculorum igitur quę sit natura in primis videre oportet. Ignorata namque mali essentia omnis medici operatio otiosa vel perniciosa redditur: quoniam indicatio, per quam medicus rationalis reme-

Celebres doctrina.

Lib. de veteri med.

Lib. de arte.

dia inuenit nulla ignorato morbo ſuppeditari poteſt. Prognoſticon vero cognitionem ſequitur ne medicus deſperatos morbos aggrediens, artem turpiter infamet, vel leuiſſimos exagitans, quos per ſe natura curat, ſuperfluus euadat. Agendum igitur eſt de Calculorum remedijs tamquam de fine nobis propoſito deque illorũ natnra ac prognoſtico tamquam de medijs ad finem. His accedit ordo. cum enim hæc multa ſint, ordinem expoſcunt ne confundantur omnia; Hunc igitur ita ſeruabimus, vt quod maxime doctrinæ ratio expoſtulat primum in medium afferamus: id vero eſt calculorum natura. Secundo loco quod ad illorum prognoſticum pertinet & tertio medici actio, de qua vltimo loco dicemus. Ita tamen vniuerſa hæc examinabimus, vt probationem afferamus ne ad placitum loqui videamur. Dummodo res talis ſit vt illam expoſcat; Quæ enim manifeſta ſunt fruſtra rationibus probare laboraremus, officiumque obiremus hominis, qui (vt ait Ariſt.) ab ignotis nota diſtinguere haud quaquam valeret. De natura igitur calculi primo dicamus.

QVIBVS COMPREHENDATVR calculi natura, & quæ ſit nominis ethimologia. Cap. II.



CALCVLI natura quinque potiſſimum capitibus abſoluetur; primum nominis explicationem continet: ſecundum generis illius: tertium differentiarum; quartum cauſarum; quintum ſymptomatum. Quoad primum attinet nomina rebus licet ad placitum imponantur, lege tamen quadam naturæ (vt ait Hippocrates) ſunt indita, diuerſa ſubinde ratione ſolent medici *Lib. de arte.*

nuncupare mala; aliquando enim à parte affecta nomenclaturam sumunt; sic Pleuritis, & Peripeumonia dictæ sunt. Illa quod lateris, hæc vero, pulmonis sit malum: aliquãdo à symptomate; sic Tenesmus & cõuulsio; ille quòd egerendi difficultatem faciat; hæc vero, quòd corpus ipsum conuellat. nonnumquam ab vtroque sic cephalalgia, & optalgia; quòd illa capitis; hæc vero aurium sit dolor. Aliquando à causa, sic Melancholia, Mania, leucophlegmatia, denique & ab ipsius rei substantia: qua ratione corpuscula illa dura, & concreta calculos, lapides, seu arenulas nuncupamus; ad similitudinem lapidum, arenularum, quæ in fluminum ripis apparent: hanc nominis appellationem reprehendit Paracelsus, sed perperam: ait enim, calculos, & arenas in homine genitas, nec eandem habere essentiam, nec generationis modum cum externis lapidibus; & riparum arenulis. Quamobrem censet ille, non metaphorico, sed proprio vocabulo vtendum esse, appellans prædicta corpora tartarum; vult autem tartarum esse corpus quoddam impurum, & excrementitium, quod in fundo cuiusque rei subsidet; quale fæx est in oleo, grummus in dolio, lutum in aqua: sed fallitur Paracelsus; quia si tartarum est, quod in fundo cuiusque rei impurum subsidet, non proprie calculus tartarum dicetur; cum non omne tale sit calculus. Præterea, si ex illo, quod subsidet, fit calculus, ergo ex tartaro fit, non igitur tartarus est calculus. Vtitur quoque ignoto, & inusitato vocabulo, ignorans Paracelsus, rerum significata debere esse notissima falsum quoque est, arenulas, & calculos in vesica, & renibus genitos non habere eandem essentiam, & generationes modum, cum externis lapidibus, vt dicemus. Atqui in eo saltẽ reprehendẽdus est, quòd in re tam parui momẽti, tam multa perdat: de nominibus enim non est curandum; dummodo res ipsa intelligatur: modum si quidem quęrimus (vt ait Aristoteles) & non subiectum. Nos igitur,

lib. de Tarta.

1. de Generatione.

tur, Græcorum ſequentes veſtigia, & lapides, & calculos, & arenulas appoſitiſſima nominis ſignificatione appellabimus prenominata corpuſcula; quòd hæc nomina apprime rem ipſam explicent, & propoſito noſtro ſint accommodata: nec enim me continere poſſum, quin illos damnem homines, qui ſtudio contradicendi ſolum addicti, ex quauis re, quantum vis minima occaſionem arripiunt incuſandi viros arte & doctrina præſtantes; contra quos ſatis ſit proferre, quæ magnus Hippocrates pronunciat in hunc modum. *Sunt quidam* (vt Paracelſus addo ego) *qui id eſſe artem putant, reliquas artes turpiter inceſendo dehoneſtare; atqui, id quidem, veluti putant, non tranſigunt. Mihi vero aliquid inuenire eorum, quæ nondum inuenta ſunt (quod ipſum notum magis, quàm occultum eſſe præſtet) ſcientiæ votum, ac opus eſſe mihi videtur, ſimiliterque, & ſemiperfecta ad finem perducere. At verborum inhoneſtorum arte ad ea, quæ ab alijs inuenta ſunt, confundenda, promptum eſſe; nihil quidem corrigendo eorum, qui aliquid ſciunt, inuenta apud ignaros calumniando, non ſcientiæ votum, ac opus eſſe mihi videtur; ſed proditio magis naturæ ſuæ, aut ignorantiæ artis.* *lib. de arte.* hæc ille. Quibus à Theophraſto, alijſque eiuſdem farinæ viris ſatis ſuperque ſe defendit Hippocrates: eo enim inanibus ſuis fictionibus chimicis peruenit inſaniæ Paracelſus, vt ſe ſuaque ſolum approbet, cæteros vero quoſcunque reprehendat; quaſi Deus ceterorum hominum mentem obcæcauerit, & ſuam tantum illuminauerit. Vitupero igitur eius arrogantiam, laudo in multis diligentiam. Cæterum (vt ad propoſitum reuertamur) dicimus, calculi nomine intelligere nos corpuſcula illa ſolida, & concreta, quę in renibus, & veſica gignuntur. Quæ licet in alijs etiam corporis partibus aliquando genita viſa ſint; id tamen adeo rarum eſt, vt diligentiam modo noſtram non deſideret. Duplex autem calculi oritur in nobis conſideratio, alia, quæ reſpicit malum hoc, vt Renibus, & veſicæ

com-

commune altera vero in particulari, veluti hoc aut illud membrum infestat. Reducemus autem nos semper vniuersalem tractationem ad particularia: Quæ doctrinæ ratio, non in affectibus solum, sed in remedijs adeo necessaria est, vt si alterum ex prædictis membris ommittatur, corruat omnis Medici operatio: Ita enim doctrinas siue ad dignotionem, siue prognosticum, seu curationẽ, tradere per vniuersale oportet; vt ad particularia accedatur. Non tamen sic, vt omnia particularia percurras, infinita si quidem sunt sed quod ex vno, aut altero exemplo possit quispiam in reliquis particularibus exerceri est autem peculiaris cognitio in remedijs adhibendis necessaria, adeo vt acriter Hippocrates medicos reprehendat, in vniuersis insistentes, & ignorantiæ incuset, dum ait: *Qui hoc calidum, aut frigidum esse asseuerant, non vltra progredientes, statim interrogabit æger? quid illud calidum aut frigidum sit: vt nugas producere necesse sit, aut ad aliquod eorum, quæ sunt, confugere; cum enim calidum quoddam sit acerbum, aliud fluens, aliud tenue? Quod igitur ipsorum sumere oportebit? calidum acerbum? an calidum fluidum: aut simul frigidum & acerbum; etenim quod ego scio, totum contrarium ab vtroque ipsorum euenit non solum in homine, sed etiam in corio, & ligno, & alijs multis rebus; quæ magis stupidum sensum habent, quàm homo: non enim calidum est, quod magnam vim habet: sed ipsum acerbum & fluidum.* hæc ille. Per quæ notum facit, quàm necessaria sit peculiaris rerum consideratio; proinde calculi naturam primo in communi, inde peculiariter quatenus huic vel illi membro incommodat, explicabimus; innata enim nobis est via, ab vniuersalioribus ad minus vniuersalia. ea igitur explicata parte, quæ ad nominis significationem spectat, ad genus mali indagandum nos conferamus.

Gal. quarto de locis aff.

lib. de vet. Med.

DE

DE CALCVLORVM GENERE. Cap. III.



LLVD in primis ſtatuendum eſt, renum, & veſicæ calculum eſſe aliquid præter naturam; quoniam ſcilicet naturæ corporis repugnat; natura namque corporis potiſſima forma eſt, cuius perfectio in actionum integritate conſiſtit: Cum autem lapis lædat actiones (infert enim dolores, vigilias, ſtrangurias) naturæ repugnat: ob id res præter naturam eſt, & non ſolum præter naturam, ſed toto genere præter naturam: quia nec formæ, nec materiæ, vel renum, vel veſicæ quidpiam habet. appellauit autem Hippocrates morbum, omnem rem præter naturam, dum ait: *Quicquid moleſtiam, & triſtitiam homini affert, hoc morbus vocatur*. Qui vero illum ſecuti ſunt, ad tria capita tale quidpiam reduxere; quod enim moleſtiam, & triſtitiam homini adfert, vel eſt morbus, vel cauſa morbi, vel ſymptoma. Morbum igitur dixerunt conſtitutionem præter naturam, quæ actiones lædit, cauſam autem morbi id quod ipſam vitiat conſtitutionem, ſic tamen, vt ſit de illius eſſentia; ſymptoma vero accidens, quòd vitiatam ſequitur conſtitutionem, & morbum. Calculus igitur renum aut veſicæ cauſa morbi vere appellari debet: morbus enim in primis non eſt, quoniam omnis morbus eſt affectus, lapis vero affectus non eſt. ſecundo, omnis morbus eſt exceſſus; at lapis non eſt exceſſus: ſed neque ſymptoma eſſe poteſt; cum tale omne morbum ſequatur. Calculus vero præcedit; quia conſtitutionem vitiat. cauſa igitur morbi ſit: cum vero omnis morbus in vitiata conſtitutione conſiſtat; conſtitutio autem vel ad partes ſimilares pertineat, qualis eſt temperies, & to-

lib. de flatibus.

Ariſtot. in Probl.

& tota, quam vocant ſubſtantiam; aut ad inſtrumentales, quæ in proportione conſiſtit figuræ, magnitudinis, numeri, & ſitus. dicimus lapidem, morbum parere, in inſtrumentarijs partibus per exceſſum in numero? ſi quis enim quærat, cur lapis renum, & veſicæ actiones lædat; reſpondebimus, quia aliquid addit illis partibus, cuius ratione læditur ſtructura. Quòd ſi Galenus aliquando calculum morbum appellauit, non id fecit, quòd vere morbum eſſe putauerit, ſed ut illius nomine, quale ſit vitium in compoſitione, quæ à cauſa naſcitur, exponeret: aut quod doctrinæ ratio id poſtularet; aliquando enim contingit, vt aliud requirat doctrinæ ratio, & ſcopus; & aliud ex acta, & minuta rerum perſcrutatio. & ſicut Philoſophus, cui ſoli conuenit rei ſpeculatio, poſterius hoc ſequi debet, ita medicus; qui curationis ſolum rationem, habet prius: quod inſtitutum ſeruat Galenus in multis partibus artis, docens perpetuo, non quod phyſica conſideratio ſcrupuloſe inuenit; ſed quod aptius eſt medicationi, vtiliusque operi intento, omnia, ſcilicet, conſiderans, quatenus actioni medici ſubijciuntur; medicus enim, cum non operetur niſi in cognitam diſpoſitionem ſignis & ſenſu, non conſiderat, niſi manifeſte ſenſilia: hoc prudens Galeni conſilium non expendens Auerrois, vt alij plerique audent in multis eum reprehendere, cum multo magis ipſi ſint reprehenſione digni. ſic ponit Galenus moderatam temperaturam cum latitudine, licet calor, & frigus medij expertia ſint. inter ætates, vigentem aliquot annos durantem, licet homo ſemper aut augeatur, aut minuatur, præterquam in puncto. Sic inter tempora morbi addit antiquis ſtatum amplum, cum tamen vere non ſit niſi momentaneus. Optimum temperamentum, optimam ſanitatem, ſalubritatem ſimpliciter ſemper licet omnia ſint inſtantanea, concedit cum latitudine, ſicut multos pulſus, vrinas moderatiſſimas, ęquale ad pondus durans, purum cibum, puram medicinam,

lib. de diff. morb. artis Medicæ.

excre-

excrementa ſyncera, intemperaturam ſimplicem durantem, neutram diſpoſitionem: nec tamen falſa ſupponit; quoniam alia eſt natura ſcientiæ alia vero ipſius artis, qualis eſt medicina. Scientię enim veritas eſt adæquatio rei ad intellectum; artis vero veritas ad opus; & ambæ ſunt habitus veri licet varie intelligatur in vtraque veritas. Cum enim ars non præcipue quomodo res ſe habeat, conſideret, ſed tantum perquirat doctrinam operi neceſſariam, nil impedit propoſitionem non ex acte veram, vel etiam aliquo modo falſam eſſe vtilem operi. quare ars ſibi conducibilem,& ſuo modo ueram propoſitionem conſtituet; Quod etiam Mathematicus aliquando facit, petens, ut ſibi concedatur, trahi lineam in infinitum, aut lineam bibedalem, quæ vere non eſt. ſeu igitur Calculum morbum voces, ſeu morbi cauſam, non proinde uariabit curatio. ſi tamen id, quod eſt ex actum, quærimus, morbi cauſam ſemper appellabimus, eamque internam, immediatam creantem morbum in aucto numero in partibus, præcipue urinæ dicatis. Atque hæc de genere calculi dicta ſufficiant,vt eſt quidpiam præter naturam; nam ſi conſideratur, ut ſubſtantia quædam eſt. Iam cum nominis explicatione illius genus eſt explicatum, dum dicimus eſſe corpus quoddam concretum, de quo paulo infra uberius dicemus, nunc hac duplici conſideratione facta de Calculorum differentijs ac ſpeciebus agamus.



DE CALCULORUM differentijs. Cap. IIII.



D unum locum Calculorum ſpecies & differentias reſeruamus ; quoniam ſpecies per differentias conſtituuntur, ut ſciunt ii, qui vel mediocriter in dialectica ſunt exercitati. cum vero calculus conſideretur, vt res pręter naturam corpus humanum infeſtans, & ut tale quoddam corpus, ideo adducemus eius differentias ſecundum utruisque ſignificationem. Sumuntur autem in morbis differentiæ ab illius eſſentia, à cauſis, & ab effectibus, de quibus dicendum eſt. ac primo de eſſentialibus inde, de ijs, qua ab accidentibus, tertiò quæ à cauſis deſumuntur. ita enim dictat ordinis ratio. Facta igitur Calculi cõſideratione, ut ſubſtantia quædam eſt differentias eius ab eſſentia ita deſumimus, dicentes, Calculorum alios eſſe duros ſeu ſiliceos, alios molles, ſeu tophaceos, alios denſos, alios raros. graues nonnullos, alios leues, aſperos alios ſeu ſpinoſos, alios autem lenes & æquales, liquabiles, ſeu illiquabiles. licet autem graue, denſum, durum, aſperum, ſolubile, accidentia ſint, non tamen proinde falſa ſupponimus, ſed doctrina inſtituto noſtro accomodata talia de calculorum ſubſtantia eſſe aſſerimus; quòd uel hæc ſit illorum eſſentia, vel quòd per hæc magis, quam per alia accidentia manifeſtetur. Differentiæ autem, quæ ab eſſentia calculi, ut res præter naturam, deſumuntur, morbo applicabimus, qui ad ipſum ſequitur. dicimus itaque calculorum morbum aliquando magnum eſſe, aliquando paruum, aliquando mediocrem, longum inordinatum, qui per acceſſiones affligat, particularem internum, occultum, hæredi-

reditarium in veſica, puerilem, in renibus ſimilem, ſporadem ut plurimum, nonnumquam etiam endemion, ſiue regionis proprium. Cæterum differentiæ, quæ ab accidentibus calculi ſumuntur, ut tale quoddam corpus, præcipue ad quantitatem, & qualitatem ſpectant, à quantitate igitur exordientes, cum hæc uel continua ſit, uel diſcreta, ab utraque differentias ſumemus: à continua quidem dicentes calculorum alios eſſe magnos, alios paruos, alios mediocres, ſolent enim magni fieri in veſica, ob loci capacitatem adeo ut aliquando oui anſeris magnitudinem ſuperent, minores in renibus; nec enim in illis tanta eſt capacitas, nec materiæ copia. à quantitate autem diſcreta, dicimus in renibus, & veſica aliquando vnum tantum creari calculum, aliquando uero multos: Nam in Hieronymo Vetio Piſtorienſi Medico egregio & in Piſano Gymnaſio Theorices Medicæ artis Profeſſore, collegaque noſtro, cum non ſine magno illius Academiæ detrimento diem ſuum hoc anno ex calculo obiiſſet, pluſquam quinquaginta auelanarum magnitudine in illius veſica ſunt reperti. res certe mira, & quæ à calumnia Medicos non parum defendit, ſi quando in huiuſmodi monſtra incidentes oleum (ut aiunt) & operam perdant. erant autem omnes illi calculi coloris ſubflaui bilis meræ ſoboles. Qualitatis uerò differentię duptici capite continentur, aut enim ad primam qualitatem pertinent, aut ad ſecundam, ad primam, cum dicimus, calculorum alios eſſe calidos, alios frigidos, alios humidos, & alios ſiccos; licet onnes tactu frigidi & ſicci manifeſte ſentiantnr. ſecunda autem qualitas pro ſenſuum diuerſitate multas parit in calculis differentias: color in primis in aliquibus eſt albus, in multis ſubflauus, & ſubrubeus, in alijs cinereus, ac omnis ferè coloris, tum in renibus, tum in veſica gignuntur: licet in renibus geniti, vt plurimum ruffi ſint, in veſica autem magis albi-

cantes cum flauitie : figura multas etiam facit differentias, alij enim perfecte rotundi sunt, alij cum rotunditate oblongi, angulares nonnulli, alij mixtæ figuræ : ad tactum differentiæ illæ, quas ad substantiam calculi pertinere diximus, spectant grauitatem, densitatem, duritiem, lenitatem. Gustus parit & ipse differentias, quod alij insipidi, falsi plurimi, vrinæque saporem redolentes, vel vt etiam, & odor : insuaues aliqui, alij autem odore orbati. ad auditum pertinent differentiæ, si dicamus sonoros alios, alios autem asonos : duri enim densi, lenes, sonori sunt : percipitur enim non sine ægri voluptate sonus lapidis in matula, si quando à natura foras expulsus, illam ferit. Hæ igitur sunt differentiæ, quæ à calculorum accidentibus, ut tales sunt desumuntur. quæ uerò ab illis, ut res pręter naturam, erunt, ac si dicamus, calculorum alios dolores parere intolaribiles, ac ualde dolorificos esse, alios autem non multum affligere, alios sanguinis mictum, alios stranguriam, alios scuriam, vigilias, febres, Tenesmos Iliacam passionem, conuulsiones, inflammationes, vlcera, aut aliud quidpiam parere. Cæterum differentiæ, quæ à causis sumuntur, potissimum ad efficientem, & materiam pertinent. nam in morbis nullus finis est, formę autem differentiæ in ijs, quæ ad essentiam pertinent, continentur. Ab efficiente igitur dicimus calculorum quosdam à calido, tantum aut frigido, aut ab vtroque originem habere. Materia, prout duplex est, propinqua, & remota, duplex differentiarum genus præstat, à materia igitur propinqua dicimus lapidum alios à sanguine, alios à bile flaua, alios ab atra, nonnullos etiam à pituita nasci. Ad remotam materiam pertinent cibi, & potus à quorum diuersitate diuersos oriri in corpore calculos putat Paracelsus : tot enim lapidum formas esse ait, quot alimenti species reperiuntur; proinde aliud esse tartarum vini, aliud aquæ, aliud panis,

aliud

aliud carnis, aliud piſcis, aliud leguminum, atque fructuum, & radicum, & cæterorum, quibus homo veſcitur. hæc pertinent ad materiam ex qua lapis gignitur, eſt & materia, in qua, ſeu ſubiectum in quo calculus generationem habet; quæ etiam ſuas præbet differentias, ſic alios renales calculos dicimus, alios veſicæ, alios hepatis, alios ſtomaci, alios in teſtinorum: nam in omni corporis parte poſſe creari calculos non eſt dubitãdum; ſi quidem preſto adeſt efficiẽs, & materia. Sed ꝙ ait Paracelſus, omnem morbum eſſe ſaxum prorſus eſt ſenſui repugnãs: multi enim moriuntur ob diuerſas affectiones, in quorum diſſectis corporibus nullus calculus, aut Tartarum inuenitur. Quamuis autem animus ſit, ſolum veſicæ, & Renum calculos examinare; bene tamen ſe habebit, teſtimonia afferre, quibus pateat calculum poſſe generari in quauis parte corporis noſtri. Quod in ſequenti capite aggredior.

OBSERVATIONES CALCULORUM *in diuerſis partibus corporis repertorum.* *Cap. V.*



BENE ſe habebit, prius quam teſtimonia afferamus, partium noſtri corporis diuiſionem facere exactam, in hunc modum; Partes quædam ſunt primæ, & ſunt quatuor, Cerebrum, Cor, Hepar, & Teſtes aliæ non primæ, & ſunt aliæ omnes hæ rurſus vel oriuntur a principijs; ſic venæ ex Iecor e: arteriæ, à corde; nerui à cerebro: vaſa ſeminalia à teſtibus; (ſic enim ſtatuatur: nam hęc vaſa ſeminalia potius in teſtes implan-

plantanrur, quam ab illis oriantur) vel denique iſta partes non primæ ab alijs non oriuntur: quales cæteræ omnes pręter illas. hæ rurſus partes, quæ primę non ſunt, & ab alijs non naſcuntur, vel ſolum ſibi inſitas, & non aliun de manantes per vaſa facultates habent, quale os eſt, cartilago, ligamentum, membrana, Adeps, caro ſimplex: vel denique inſitas habent, & ſuſcipiunt: Quales ſunt Pulmo, ventriculus, lien, veſica, & aliæ, quæ venas, neruos, & arterias ſortiuntur. In his igitur partibus poſſe generari calculos, non eſt dubitandum. & quòd ad principia pertinet, cum illa partes ſint nobiliſſimę, raro admodum calculum procreant, rariſſime in corde viſuntur ob ſanguinis de fęcationem, & tenuitatem: inuentos tamen in corde mulieris cuiuſdam lapides duos ad ſimilitudinem teſtis limacis obſeruauit Hollerius, in cerebro vero lapidem inuentum teſtatur ſchenerius, Cum enim (ait) homo quidam vehementi capitis dolore continuo cruciaretur, nec vllis reme dijs dolor leniri poſſet, tandem vita functus eſt, in cuius diſſecto cerebro lapis eſt inuentns, magnitudine, & forma mori, colore cinericio, affirmat Idem Auctor lapidē apud ſe habere, quem in cerebro cuiuſdem inuentum eſſe ait. nec deſunt Anatomicorum teſtimonia aſſerentium ſe in diſſectionibus non ſemel intra caluariam lapides inueniſſe. In hepate frequentius generari calculos rationi eſt ma gis conſentaneum; quinimo ab eo viſcere omnem aptitu dinem naſci ad pro creandos renum, & veſicæ calculos affirmandum eſt: Hepatis de calculo cutem in Hepate inuento teſtimonia affert Beniuenius. *Cum enim* (ait) *mulier quædam hypocondrij deſtri dolore diu multumque angeretur ac propterea quamplurimos medicos conſuluiſſet effugere tamen id malum, nullo præſidio poterat, quare opem noſtram vna cum alijs experiri placuit. Conuenimus igitur plures medici; & quænam eſſet huius morbi cauſa hinc inde plurimo ſermone diſcuſſimus uerum (ut contingere ſolet in rebus dubius) de ſententia non*

4. Aphorum. 79. Obſeruat. 76.

Lib. de abditis morborum cauſis cap. 3.

non conuenimus: cum pars iecoris abſceſſum, pars malum habi tum indicaſſet; nos uero uitium in membrana contegente in eſſe credebamus: at illa cum inualeſcente morbo paucis poſt diebus e uita migraſſet, mortuæ corpus incidendum curauimus, & inuenti ſunt in decliuiori parte membranæ iecoris congeſti lapilli colore, & figura diuerſi, alij angulares, quadrati alii, prout poſitu ra & caſus effecerat. hanc autem nos mortis cauſam arbitrati, diſputare de obſcuris uanum, inutile iudicauimus. Hæc ille. & rurſus idem Author, in alia muliere repertos eſſe calculos quamplurimos, ait, non ſane ullus in veſica (vt putabatur) prȩter quam unum qui in tunica colore atri fællis magnitudine aridæ caſtanææ continebatur, cæteri omnes in paniculo, quo contegitur hepar, vnde etiam, ueluti in folliculo dependuli ſacculum effecerant. Veſſalius in ictерico repente pereunte, multos, magnoſque intra veſicam felleam repertos a ſe eſſe ait, ſimiles ijs qui in bubulis frequenter reperuintur. Quamobrem conſulerem, ut Medici omnes, qui calculo pereunt diſſecandos curarent ac non ſolum veſicam, & renes, ſed etiã hepar inſpicerent. ſic enim morbi origo & natura manifeſta fiet: nihil enim (magis ad medicinam faciendam conferre poteſt ea diſſectione, quȩ in membris affectis fit in cadaueribus: nam præter congnitionem pulchram abditæ affectionis ad ſimiles affectus poſtea curandos aperitur aditus. *Nec enim mirum videri debet* (ait Hippoocrates) *ſi medicus etiam optimus interuorum membrorum abditas affectiones non cognoſcit à ſenſibus longe diſtantes.* Hæc de primis partibus. in alijs uero quæ à primis naſcuntur, maxime in uenis, calculi originem habent: nam ex venarum ad uſtione arenulas generari, author eſt Hippocrates; non ſecus ac per febres ardentes, ramenta, & corpuscula quædam in urinis conſpiciuntur. Partes autem, quæ à ſe inſitas facultares habent, nec aliunde ſuſcipiunt: raro pariunt calculos: in dentibus tamen, ſeu circa dentes, & cir-

lib. de Cinȩ radice.

lib. de arte

de aere, aquis et locis.

& circa Caluariæ oſſa ad naſci, nemini dubium eſt, quar tum partiũ genus teſtimonia ſua habet, & in primis zoar, hominem fuiſſe, ait, cui ex innaſcente intra linguam calculo loquendi uis eſt amiſſa. In pulmone calculos obſeruarunt tum Paulus, tum Tralianus, tũ Beniuenius, qui hiſtoriã narrat Henrici Alemani, qui tuſſi quadam ſicca cruciabatur, ac dolore pectoris, & nullis remedijs cedebat malum, aliis denique fruſtra tentatis, cœpi (inquit) primum mollire pectus, guttur, & aſperam arteriam, donec calculo auelanæ magnitudine de pectore eiecto, & ſicca tuſſicula, & omnis præterea dolor amotus eſt. è ventriculo calculos vomitu excluſos narrat Braſauolus, nec non Gallicam mulierem ex inteſtinis quinque lapillos Meſpilorum magnitudine, colore ſimiles reieciſſe. Non enim ambigendum eſt, colicum dolorem aliquando ex inteſtini calculo prouenire. *Cuius rei hiſtoria eſt apud Beneuenium, cum* (ait) *Mariotus quidam Pharmacopola inteſtinorum dolore vexaretur, eiusque vẽter nihil fere, & id quidem ægre, atque liquatum redderet, pluribusq. hominem medicamentis aluum ducentibus, & Clyſteribus curaſſent medici, & morbus nihilominus inualeſceret, ad aliud auxiliorum genus conuerſi, totam ipſius aluum humidis fomentis emolliunt; nec prius ab incepto opere deſiſtunt, quam ille ſic fotus lapidem, inſtar columbi oui, ex aluo deiecit. qui ſane lapis in inteſtino ſubſiſtens, & iter magna ex parte obſtruens, licet ideo deduci non poſſet, quod inteſtino, tunicisq. eius deligatus eſſet; vel quòd ipſius craſsi in teſtini in aliqua forſan excreſceret cellula, medicamentorum tamen præſidijs, et expultrice adiuuante virtute tandem pulſus eſt.* hæc ille. Sed admiratiouem ſuperat omnem quod Franciſcus de Pedemontium aſſerit, lapideum fluxum per mẽſem durantem ſe conſpexiſſe, quaſi omnis alui fęx in lapides conuerteretur, erat, autem quorundam lapidũ oui magnitudo in Mexico etiam nouæ Hiſpaniæ Metropoli mulierem noſtris temporibus extitiſſe narrant mihi viri inte-

lib. 2. tractat. 2.

lib. de abditis, morb. cauſis capit. 24.

4. Aphoxis. 79.

lib. citato. ca. 19.

apud Meſuem.

integrę, & incorruptę fidei, quæ per interualla lapides aluo deijciebat. cuius rei medicus Hiſpanus valde admiratus ad Hiſpanienſes medicos, quaſi miraculum ſcripſit. ex vtero ait Hippocrates mulierem eieciſſe lapidem aſpe-rum magnitudine verticuli ſuſi. In articulis. Podagricorũ tophacei viſuntur calculi. ad quod, quando deuentum eſt incurabilis redditur morbus, teſte Hippocrate, cuius verba ſcitu digniſſima memoriæ mandare oportet. *De podagrius*, inquit, *hæc dico, quicumque aut ſenes ſunt, aut circa articulos calos tophaceos concretos habent, aut erumnoſe viuunt, aut ſiccam aluum habent. hi omnes ſani fieri non poſſunt humana arte quantum ego noui ſanant quidem hos optime diſenteriæ ſi ſucceſſerint, ſed & aliæ eliquationes valde proſunt quæ ad infernos locos repuni: qui vero iuuenis eſt, & circa articulos tophaceos calos nondum concretos habet & accurate viuit, & laboris amans eſt & aluum bonam habet ad obediendum pro ſtudiorum ratione is ſane medicum intelligentiam habentem nactus ſanus fieri poteſt.* hæc illa. Sunt aurea verba, in quibus breuiter (vt ſolet) vniuerſum prognoſticum, & curationem difficillimæ affectionis, qualis podagra eſt, narrauit, quæ ſubſcribere libuit ob affinitatem, quæ huius morbi eſt cum calculo: ſunt enim nephritici podagricis adeo affines. vt in cæteris, præterquam in locis; conueuiant. At vero licet Hyppocrates podagram inſanabilem iudicauerit, ubi tophaceos calculos in articulis genuerit: Paracelſus tamẽ, & cum eo ſicophante quam plurimi omnem podagrã ſe ſanaturos promittũt quod ſi fecerint, digni ſane magna laude ſunt, ſed experientia oſtendit ſæpius Hippocratis ſententiam veriſſimam, reliquorum autem nugacem & mendacem. Hæc igitur pauca dicenda iudicauimus de locis in quibus per obſeruationem calculi ſunt inuenti licet nobis inſtitutus ſermo de illis ſolum ſit, qui aut in renibus, aut in veſica procreãtur. Fuit tamen non inutile hęc interponere. ſe-

5. Epidemiorum.

2. prædictionum.

quamur igitur cæptam de calculo naturam, & ad illius causas indagandas nos conferamus.

DE CALCULORUM CAUSIS ac primum de efficienti. Cap. VI.



X quatuor generibus causarum de efficienti, & materia maxime agendum est: nam forma nil habet, quod ad curationem faciat, finis(vt diximus)lapidis nullus est, nisi ipsemet. ex concausis autem afferemus eas sine quibus fieri non solent lapides, nec non adiuuantes omnes. Illud igitur in primis statuere oportet, calculum (vt diximus)corpus esse, quod per concretionem solidum factum est. Quamo brem si concretionis causas adinuenerimus, calculorum quoque causas habebimus. Qua sane in re consulendus est Aristoteles harum rerum indagator egregius: è cuius doctrina dicimus concretionem esse rei liquidæ aut mollis indurationem quandam quæ calore, aut humore ab ea re abeunte nascitur, caloris quidem exitu: si à frigore; humoris vero euaporatione, si a calido, aut ab vtroque, si vtrumque abeat. Ex qua sane definitione causas omnes calculorum renũ, & vesicæ elicere libet in hunc modũ, ac primũ efficiens sic. concretione fit calculus: ergo efficiẽs vel est calidum, vel frigidũ vel vtrumque. sed nõ frigidum, non vtrumque; ergo calidum. Quod igitur frigidum non sit tantum, ostenditur ex eo, quod nil actu frigidum reperiatur in corpore humano, pręcipue in partibus internis nam in partibus externis nil prohibet frigido aeris, aut aquæ contactu quidpiam concrescere. Sed ob eamdem ratio-

4. metheorum.

C nem

nem neque ab vtroque coagulatur calculus. nec enim facile est videre, vnde illa acedat frigiditas. Cum ergo à frigido nullo modo fiat calculus, nec per se, nec simul cum calido, sequitur vt à sufficienti partium enumeratione, à calido tantum concrescat. Rursus calculosi omnes non de renum aut vesicæ frigiditate, sed calore conqueruntur. Confirmatur id pluribus Hippocratis testimonis: hic enim, quos maxime aptos ad calculos gignendos, iudicat, exponens. *Quorum pectora*, inquit, *bilem generant, balbi, furiosi, & calui sunt; Quicunque horum etiam ex natiuitate strabones hi impudeutes sunt, aut calculosi, aut insanientes.* hęc ille. Rursus idem Author in pueris magis calculos fieri asseuerat: quòd sint calidiores. post quadragesimum annum in vesica non fieri, nisi prius extiterit, asseuerauit: quasi in ea ætatedeclinante calido non facile creari possit calculus. Rursus de vesicæ lapide uerba faciens, ex illius ardore, cum magis, quam pro natura fuerit calefacta, urinam non demittere, ait, & ipsam cócoquendo adurere, lapidemque procreare. Rursus de lapide renum verba. Faciens, inquit, *hic morbus fit à pituita, cum ren susceptam in se ipsum pituitam non rursus demiserit, sed in ipsum in totum concaluerit, & fiunt ex ea tenues lapilli, veluti arena.* Caliditas igtur calculi, seu in renibus, seu in vesica fiat, est causa efficiens. Sed nó quæcunq; caliditas; ná caliditas ad cócretionem apta non humida esse debet, sed sicca, & acris imo siccitas per se causa est coagulationis: quoniam coagulatio ex siccatio quædam est; caliditas, vero concausa. hæc autem sicca caliditas maxime originem suam ducit ab hepate, inde ad renes & uesicam communicatur raro enim ad modum contingere potest ut in renibus calculus fiat, non existente prius in hepate caliditate; nec in vesica, non existente in hepate, & renibus. caliditas igitur harum partium acris, è sicca lapidis causa est. sed dices quæcunque a calido coalescunt a frigido liquefiunt, ut

2. Epid.

6. Epid.

de aere, aquis et locis.

lib. de internis affectibus.

ſal, & è contra ut glacies à frigido coagulata, à calido ſoluitur. ergo ſi calculus in renibus, & ueſica à calido gignitur, à frigidis ſoluetur, ſed non ſoluuntur calculi à frigidis; quia illiquabiles ſunt. ergo non à calido facti ſunt. Reſpondet Alexander adhibere nos remedium ad calculum frigidã aquam qua roboratis renibus pellitur calculus. ſed id dubitationẽ non ſoluit. dicendũ igitur eſt quòd calidum, dum ad concretionẽ agit uel ita agit, ut ſolum reſoluat humidum, non tamen ſpiritum, ſic ut pori maneant, per quos humidũ frigidum ingrediens diſſoluere poſſit. aut ita agit in rem coagulandam, ut non ſolum humidum, ſed ſpiritum exprimat. primo modo quæ à calido coaleſcunt ſoluũtur à frigido; nõ tamen ſecundo modo: quia per loca in quibus continebãtur ſpiritus, aqua ingredi non poteſt; tale eſt fictile, tales quoque ſunt renum, & veſicæ calculi; ideo illiquabiles ſunt aut ſi magis placet, dicito concreſcere calculum ab utroque, ſci licet & à calido, & à frigido non quidem externo; proindi ſolui nequaquã poſſe. Rurſus dices ſi à calido concreſcunt lapides, cur calida adhibemus præſidia; potius enim frigida conuenirent. ſoluitur tamen quia licet lapides renum, & veſicæ illiquabiles ſint, ſolui tamen poſſunt in arenulas. calida igitur adhibentur, quæ partium tenuitate, incidant, abradant, & ſeparent impactũ calculũ. ſed inſtabis rurſus; ſi à calido concreſunt calculi: quomo do renum calculus eſt peculiaris morbus ſenibus. in ſenibus enim ineſt caloris parum. ſoluitur tamen; quia licet ſenes paucum habeant innatum calidum: multo tamen extraneo abundant: ſunt enim natura ſicci, & putrent in illis humores ideo acredinem concipiunt, unde pruri tus totius corporis. Caliditas igitur ſimul cum ſiccitate cauſa eſt calculorum, quæ ut plurimum primam ſuam ori ginem ex Hepate trahit, nec non ex inteſtinis, inde renibus, & veſicæ communicatur. naſcitur autem illa ab

ijs, quæ aſſumuntur, aguntur, nos ambiunt, expelluntur; & retinenrur. nam cibi, potionesque calidæ acres, aer calidus, ex ijs, quæ aſſumuntur, uim habent calefaciendi. ab ijs, quæ aguntur, exercitium ualidum, per quod renes, aut veſica valde laborent, vt equitationes, decubitus ſupra renes in plumeis ſtratis, venus aſſidua, vigiliæ immodicæ, animi affectiones fere omnes ſiccant, & calefaciunt. Ab ijs autem, quæ extrinſecus ambiunt, aer calidus, balnea ſulfurea, validæ frictiones, vnctiones, emplaſtra, calidæ naturæ. ab ijs vero, quæ retinentur, obſtructione, inflammatione, abſceſſu, ſuppuratione, caliditas præter naturam oriri ſolet: ab excretis etiam nimia euacuatione humoribus totum corpus calidum redditur, & ſiccum. hæc igitur uel omnia, uel aliqua intemperiem in prædictis partibus inducere poſſunt. niſi à natiuitate homo calidiſſima habeat, hepar, renes, & veſicam, ex intemperie igitur læditur actio: quia læditur facultas: & retinetur, quod retinendum non eſt: gignitur que ſubſtantia præter naturam. hæc de efficienti, nunc de materia dicamus.

DE CALCVLORVM materia. Cap. VII.



Ateria Calculorum duplex ſtatim ſe nobis offert: alia enim dicitur materia in qua, alia uero materia ex qua. materia in qua ſunt membra corporis vbi calculus gignitur, quæ vt inſtrumentum ſunt ad eorum creationem. Inter cætera vero potiſſimum renes, & veſica, in quibus adſunt lapides vel ſic, vt libere moueantur, aut adhæreant tenaciter. ſunt

autem

autem renes & vesica partes corporis vitæ necessarię publico officio destinatæ: serosum partium excrementum expurgantes intra corpus abditæ, quarum particularem historiam postea sequemur. Causam vero, ex qua fiunt calculi ab vniuersali principio auspicantes ita indagabimus. Cum calculus per concretionem fiat, id solum, quod ad concretionem est aptum, erit calculi materia. erit autem id vel elementum, vel mixtum ex elementis, inter elementa sola aqua concrescit: ignis si quidem, & aer non concrescunt, qualis est etiam terra humore priuata. aqua igitur sola ex elementis concrescit. & si fuerit simplex à solo frigore coalescit; mixta autem, ut aqua maris, etiam à calido: sal enim ex ea per calorem nascitur. at cum in corpore humano nil simplex reperiatur, proinde elementum materia calculi esse non potest. erit igitur corpus mixtum. ex mixtis autem illa, sola ad coagulationem apta sunt, quæ magis sunt terrea, & aquea: ignea nanque & aerea, ut oleum, & uinum non concrescunt. rursus mixta, in quibus terra, & aqua dominantur, quædam magis aquę participant, vt vrina, acetum lixiuium. quædam vero magis terræ, vt lutum. Putauit igitur Paracelsus calculi materiam esse lutum quendam. Agricula uerò mucilaginem quandam quæ à calore exassatur, & fit calculus; non secus ac ex luto fictile, seu later in fornace. quæ sententia, vt vera recipienda est: quia in calculosorum urina mucilago illa in fundo conspicitur, & præcipue si per aliquot dies reseruetur in uase. lutosa igitur illa substantia causa immediata est lapidis quæ aliquando sanguinis, aliquando pituitæ, aut bilis naturam referens tales colores repræsentat, qualis humor ille est. ob diuersos autem caloris gradus, & materiæ dispotionem generantur aliquando non lapides sed arenulæ. Cæterum fomitem accipit hæc materia ab ijs, quæ assumuntur alimentis; seu ad cibum,

seu

ſeu ad potum ſpectent. & ut a potu exordiamur, hic uel eſt uini, uel aquæ. quæ ſi impura fuerint, ſtatim calculi proximam materiã in corpore pariunt; videmus enim in aquarum vaſibus fere ſemper lapides reperiri; & id ipſum in uinorum dolijs conſpicimus. Cnm igitur hæc duo impura fuerint, multum habent ſubſidentię. vinum igitur nouum, craſſum, turbidum potens materia ſit calculi. quantum vero aqua praua faciat ad creandos calculos nemo melius quam Hippocrates explicauit in hunc modum loquens. *Calculo laborant homines, & renum affectionibus, & vrinæ stillicidio, & coxendico morbo corripiuntur, & herniæ fiunt, vbi aquas omnigenas bibunt, et de magnis fluminibus, in quæ aliæ deferuntur, et de ſtagnis, in quæ fluxiones multæ, et omnis generis deueniunt, et qui aquis inuectitijs utuntur; quæ ex longo, et non breui interuallo locorum deferuntur: non enim fieri poteſt, ut alia aqua ſimilis ſit alij; ſed aliæ dulces, aliæ ſalſæ, et aluminoſe, aliæ de calidis fluunt; ubi uero hæ ſimul inter ſe miſcentur, deßident, et quæ fortißima ſemper uincit. præualet autem non ſemper eadem; ſed alia alijs. ſed et ex uentis, alij quidem ut boreas robur exhibent, alii uero auſter, et de reliquis eadem ratio exiſtit. talibus igitur neceſſe eſt, limum, et arenam, in uaſis ſubſidere. et ab is ſæpe oriuntur morbi prædicti.* hæc ille. Per quæ patet quanti ſit momenti aqua in calculoſis, ſi praua, aut bona bibatur. Cæterum, quod ad elimenta pertinet, quæcunque ſanguinem craſſum, impurum, lentum, multumque generare ſunt apta, atque impura, illa materiam calculo efficiunt. ex panibus igitur, qui ſine fermento, qui crudi, qui antiquiores, omnia item formentacea, Græci thymiammata uocant, omne genus polentarum, quas tortas dicunt, quæque ex farina frixa melita manduntur, calculi materiam faciunt. ex carnibus, bubula, caprina, porcina, camelina, magnorumque animalium: ſicut volatilium, quæ in paludes degunt, anſares,

Lib. de aere, aqua, & locis.

ſares, grues, anates. Caſeus item & lac. ex piſcibus, omnes cetacæi ut tumnus, delphinus; omnes item duræ carnis, ut canis congri ex ſtracodermis, oſtrea, bucinæ. omnia item legumina, qualia ſunt oriza uicia fabæ, lentes, lupini, eruus, cicer (licet eius decoctum conferat) è fructibus, cotonea mala, perſica, ſorbæ, dactili, meſpilæ, pira, nuces. è radicibus, napi rapæ. omnia hæc idonea ſunt ad calculi materiam. atque hæc de materia ſufficiant. nunc de concauſis dicendum.

DE CONCAVSIS calculorum. Cap. VIII.



CRuditas eſt cauſa, ſine qua calculus fieri non poteſt; namque vbi alimenta cocta ſunt, excrementa, & ipſa concoquuntur, & excrementa cocta pura ſunt: vrina igitur cocta pura erit; ſi pura fuerit, non generabit calculum: cum uero tres ſint coctiones, prima in ſtomaco: ſecunda in hepate: tertia in membris, ita ſe habent ad inuicem, vt corrupta ea, quæ præcedit; ſubſequens corrumpatur. ſolent autem calculoſi ob hepatis, & venarum inſignem caliditatem attrahere alimentum à ventriculo in concoctum. Cum autem coctionis, & ſanitatis duæ ſint cauſæ, moderata ciborum quantitas, & labores, duæ etiam erunt cruditatis cauſæ, ciborum ſatietas, & pigritia ad labores, otium ſcilicet, accedit etiam venus, quæ & ipſa magna eſt cruditatis ſoboles. Cæterum turpe eſſe (ait Galenus) hominem bonam temperaturam nactum calculo laborare; quòd ſcilicet non citra illius culpam id contigere poſſit: ſecunda cauſa, ſine qua calculus gigni non poteſt, eſt alui ſiccitas: hęc enim non modo

Hippoc. 6. epidem.

5. de ſan. tuen.

modo calculorum, ſed omnium morborum eſt mater. Quamobrem alui retentionem appellat Hippocrates. *vniuerſorum, quæ in corpore ſunt, confuſionem: etenim cum venter egeſtionem moderatam non fecerit, et in ipſum cibus ingeratur, humiditate ciborum ingeſtorum caput irrigat. ipſa autem humiditas in ventre obſtructa aceruatim ad caput viam facit, & vbi ad caput peruenerit, à vaſis in capite non recepta, fluit quocunque contigerit.* hæc ille. Per quæ patet omnium fluxionum originem à ſiccitate uentris naſci. multa quoque alia mala pariunt fæcum retentiones, inteſtinorum dolores; iliacas paſſiones, nauſeam uomitum, cibi faſtidium, febres, membrorum debilitates. & quod ad propoſitum facit negotium, retentis fæcibus iecur inflammatur, hinc trahitur materia ad renes, & veſicam: quoniam excrementa liberum tranſitum per aluum non habent, trahuntur proinde ad vias vrinæ, iuxta illud Hippocratis mictus noctus plurimus paruā deiectionem ſignificat. vnde, calculi gignuntur, ſtranguriæ, diſuriæ, origenes, alijque renum, & veſicæ affectus. Proinde omnes calculoſos ventres ſiccos habere reperies: nam (vt ait Hippocrates. *Quorum quidem aluus ſatis fluida eſt, ac ſana, facile vrinam eijciunt, & in veſica, nil ipſis congregatur. at quorum aluus ardens et ſicca fuerit, his congregatur materia ad calculos.* Ex his igitur patet, quantū de molliēda aluo debeant eſſe ſolliciti calculoſi; nā deijciendi facilitas non modo ab hoc morbo tueri hominē, ſed in perpetua ſanitate ſeruare poteſt: *qui enim aluos humidas habent, vitam agunt facilius, quàm qui eas ſiccas obtinent: nam nec pleuritides, neq; febres ardentes, nec peripneumoniæ, et quicunq; acuti morbi putantur, non multum proueniunt, ubi alui liquidæ exiſtunt.* Tertia cauſa, ſine qua lapis nō fit, eſt materiæ retētio: nec.n. cōcreſcere poteſt calculus, niſi materia retineatur. retinetur autē materia in renib⁹ (ait Auicēna) ob expultricis imbecillitatē, aut ob intēperiem, ſeu inflā-

6. epidem. De locis in homine.

4. Aphor. 83.

De aere, aquis & locis.

2. Aphor. De aere, aquis & locis.

mationē, vlcera, obstructiones, materiei crassitiem, lentorem, & multitudinem in vesica, autem licet amplior sit via, adest tamen illius obliquitas: quia vesicæ collum ad similitudinem huius literę. Conformatur 6. superequitãs os pubis, maxime in hominibus. ob quam causam præcipue musculus ambit vesicam, quo adapertam seruet istam viam: proinde curam magnam habere debent calculosi, vt magno impetu paulatim meant, exprimantque vrinam; sic enim non retinebitur quidpiam & hanc vnam maximè causam esse puto, quòd pueri magis vesicæ calculo laborent; ob debilitatē enim musculi, & inscitiam vrinæ exprimendæ facile retinetur in vesica materia, est tamen meatus vrinarius (vt ait Hippocrates) magis latus & amplus in mulieribus, quàm in viris, & breuior: ideo minus hoc morbo corripiuntur: proinde sexus adiuuans causa est ad lapidis generationem. Adiuuat & habitus corporis; qui enim calidi natura sunt, & biliosi prompte hoc morbo corripiuntur. quique venas latas habent iecurque calidum, & adurens, ortus etiam à parentibus calculosis maxime facit ad hunc morbum: si quidem (vt ait Auicenna) scias (inquit ille) quòd renum, & vesicæ calculus est ex ijs, quæ hereditantur; sicut etiam podagra, phtisis, alijque morbi quamplurimi. *semen enim* (ait Hippocrates) *ab omnibus corporis partibus decidit; à fortibus, forte, à morbosis autem morbosum*. quare quod parentes in renibus & vesica vitiū contraxere, seu intemperatura, seu compositione; non mirum est, si filij id ipsum contrahant; qui, licet sobri laborumque amãtes fuerint, ac bonum habitum nacti sint; ob illam tamen seminis insitam facultatem vix effugere poterunt paternos morbos. Quam rem
Lib. 8. c. 3. considerans Aræteus insignis medicus, ita de ijs suam sententiam profert: *innata namque calculorum fœcunditas, ut ad sterilitatem commutetur, fieri non potest; facilius enim vterum concipiendo fœtui inhabilem quis reddat, quam calculis*

gene-

generandis aptos renes a calculorum generatione, prohibeat. non tamen ob hoc in illis cessare debet Medici operatio: omnia enim tentanda sunt ad salutem acquirendam. si minus eam assequi valuerimus, at saltem vt mali acerbitas leniatur nitemur. hæc ille. sed dices? cur, si ab omni corporis parte decidit semen, à sana sanum, à morbosa morbosum non omnes parentum morbi sunt hæreditari: aut, saltem. cur nõ omnes filij calculosorum, & podagrosorũ tales euadunt, verum cessat dubitatio, quia non omnia, quę patris sunt communicantur filijs, sed cõstitutio partium facta, & in membri habitum versa, vt pote temperies totius facta. Quomodo filius biliosi biliosus est, & partis etiam constitutio, quomodo fere cronici omnes affectus, sunt hæreditarij: quia pendent ex factis partium intẽperamentis sic respondemus ad primum. ad secundum autem dicimus, filios podagrosorum & nephriticorum aliquando hos morbos euadere: quia semen non solum patris concurrit ad generationem; sed etiam matris; quæ etiam gignendi materiam præbet. Si igitur facultas matris in efformandis renibus (tribuimus enim efformandi facultatem cum Hippocrate, non solum masculino semini, sed etiam fœminino) fuerit valida mater ab affectione liberat etiam filium per illius potentiam. Adiuuat & ad lapidis generationem ætas: si quidẽ puerilis est morbus vesicæ calculus, sicut senilis, qui in renibus consistit. at quoniam hæc res se iunctam examinationem postulat, de illa peculiare caput efficiam.

3. aphorismorum de aq. & lo. 4. de morbis.

PVERIS CVR MAGIS IN *vesica, senibus autem in renibus, aceruentur calculi. Cap. IX.*

1. Proble. 107. Lexander ita ad propositum problema respondet: *Quoniam* (inquit) *renes puerorum meatus continent perangustos. hinc si terrena crassaq. permanans materia per renes vi arctioris meatus ab vrina propellitur ad uesicam, hæc locum præ sua amplitudine dat tum excernendi, qua affluat vrina, tum consistendi, qua materia subsideat calculi. at seniorum renes quoniam meatu sunt ampliori locum, & vrinæ effluendæ præbere possunt, & terrenæ materiæ subsidendi. colore autem calculi, quæ nam materia sit, quæ peperit, nosci potest.* hæc ille. Quam sententiam reprobat Galenus, 6. epidem. 5. illos accusans, qui ob id calculos in puerorum renibus non concrescere aiunt: quòd vasorum meatus ob paruitatem habeant angustos: oportebat enim, quantum in ea re est, pueris in renibus, magis calculos coalescere: angustæ etenim illis à rene permeationes, vesicæ autem ceruix vsque adeo capax, vt omnis materiei crassities prompte per illam exeat. Quãobrem aliter respõdendum esse putat. statuit igitur, tum pueros tum senes crassos aceruare humores, licet varia diuersaque ratione: senes namque in totum alimentum non conficiunt; sed illiquata manent non nulla paulo crassiora, vim illorum coctricem superantia. pueri autem ob lactis ingluuiem, & importunos motus. crassities tamen illa in pueris per renes meat: tum quia expultrice virtute satis valent; tum quia concoctrix robusta fundit, liquat, & attenuat humores, non secus quam ignis ceram, picem, & resinam; quæ liquata facile meant. non liquata autem sistunt. liquati igitur humores transeunt renes, quasi per cribrum. cumque ad vesicam ventum

est,

est, quòd illud membrum frigidum sit, tum quòd neruosum, & pauci sanguinis; quodque valde multam intus habeat capacitatem subsidens crassities in lapidem cogitur. senibus autem fex in renibus linquitur; tum propter expultricis debilitatem; tum ob crassa aliquot, non satis à calore fusa; quę cũ colari non potuerint, prę mora in renibus, assantur. hæc mens est Galeni. sed eius sentẽtia suspicione non caret: statuit enim, vt verum est, crassas esse puerorum vrinas, inde vero ponit eas esse liquatas ob calorem: nam sic potius tenues apparere deberent. quod si dicat acquiri crassitiem in vesica id recipiendum non est: nec enim in tam breui spacio vrinæ in renibus, & iecore liquatæ crassitiem illam possunt acquirere: crassities etenim vrinarum in pueris (vt ait Auicẽna) tum ob permixtionem, tum ob corporis raritatem fit. adde quod tacite asseuerat calculum in pueris à frigiditate vesicæ concrescere contra Hippocratis mentem: hic enim à mictu fieri in pueris calculos ait; quòd sint calidiores. Quãobrem ita potius respõdendum esse putarem, pueri calidiorem habent stomachum, quàm iecur: N*amque* (vt ait Auicenna) *dignior puerorum, ut in eo generetur lapis uesicæ, est ille, qui est siccæ naturæ secundũ plurimum, & calidi stomaci*: inditium eius rei est, quòd pueri alui sordes biliosas admodum, lotium vero albissimum habent. ætate verò florentium stomachus frigidior, iecur autem calidius. ideo ipsorum iecur magis calidum calorem suum cum propinquis renibus communicat. & hanc ob causam iuuenes, & prouectioris ætatis homines in renibus magis patiuntur calculum. at pueri, quoniam stomacho sunt calidiori, suum calorem vesicæ impertiunt; ob idque in ea calculus exoritur. accedit & illa maxime causa, quòd pueri ob inscitiam, & musculi ambientis vesicæ collum imbecillitatem, non bene exprimunt vrinam. ex parte autem materiæ: quia lacte nutriuntur, quod ad coagulationẽ est ap-

6. epidem.

est aptissimum. Sed cum hęc ita se habent, est quod dubitemus, si quidem frequenter & in senibus, & in adultis lapides in vesica gigni videmus. non igitur magis in renibus. cui dubitationi ita respondere possumus, quòd quemadmodum quilibet morbi in quibuslibet tēporibus fieri possunt, *nonnulli tamen in nonnullis magis tum fiunt, tum irritantur.* ita etiam in omni ætate omnes morbi fieri possunt; sed in nonnullis ætatibus nonnulli magis, & fiunt, & irritantur. possunt igitur & senes concipere calculos in vesica: sed quia magis in renibus, & frequētius id contingit; proinde dictum est magis renalem calculū senum esse proprium præsertim si ad pueros conferantur, qui fere numquam in renibus calculum gignunt. aliter etiam ad propositam dubitationem respōdere possumus ex sententia Fernelij. putat enim ipse, omnem vesicæ lapidem à renibus habere ortum; ideo licet in senibus in vesica reperiatur, prius tamen fuit in renibus. probatq; suam hanc, sententiam duplici testimonio, tum quòd nullum se vidisse, ait, vesicæ calculo affectum, qui etiam renum calculis non laborasset: tum etiam quòd in vesicę calculis reperitur, quasi nucleus quidam corticibus vestitus alterius tamen substantiæ: vnde euadit manifestū, à renibus primo in vesica delatum lapillum eo in loco magnitudinem suscepisse. reprobat tamen hanc sententiam Cardanus, dicens arenulas, & calculos, qui in renibus gignuntur, raro in vesica concrescere posse; cū enim ex loco arctiore prodeant quàm sit vesicæ collum, statim à vesica expelluntur, cum natura illorum sensum, tamquam rei abhorrentis, pati diu non possit; atque eo magis, quòd renum calculi nudi sunt, nil tamen prohibet (inquit) ob situm, & obliquitatem ipsius vesicæ: aut quia valde immunda, & imbecillis sit, aliquando retineri in ea & arenulas, & lapillos, qui à renibus fluunt. Quod vero dicit, se non vidisse quemquam vesicæ calculo laborare

3. aphorismorum.

6. de mor. & sympto mate.

borare

borare ſine renibus affectis. non ſequitur ob id quod intendit: quia pueri calculum in veſica concipiunt, nullo autem modo in renibus. ad ſecũdum autem Fernelij teſtimonium reſpondet Cardanus, quod lapis dum in veſica concreſcit, primo quidem paruum quoddam fit corpus, ciceris non excedens magnitudinem, deinde per nouæ aduenıẽtis materiæ appoſitionem lapis augetur. hinc fit, vt lapis corticibus quibuſdam concreſcat. quòd autẽ medulla ſit à cortice diuerſa, non arguit diuerſum generationis locum: ſed modum. quod in lapide beazar conſpicimus. hæc Cardanus contra Fernelium; cuius ſentẽtia licet non ſit in totum vera: in pueris enim non videmus vllo pacto affici renes; in adultis tamen magna ex parte vera comperietur: Nam in doctore Vetio, cuius ſupra mentionem fecimus, qui ſemper de veſica conquæſtus eſt, numquam de renibus, inuentus eſt alter ren fere conſumptus pendebat autem membrana, veluti ſacculus quidam, in qua repertæ ſunt arenulæ. inditiũ manifeſtum, lapillos in illius veſica repertos, à renibus originem duxiſſe. reſpondendum igitur, quòd duplex eſt lapidis in veſica generatio, altera immediata, cum ibi primam ſui ortus originem habet; altera mediata; cum in renibus prius genitus ad veſicam permeat ibique rurſus augetur. lapis igitur, qui immediate fit in veſica, frequẽtius in pueris conſpicitur; qui vero prius in renibus oritur, frequentius in ſenibus. ſed requirit doctrinę ratio, vt explicemus, quid ſibi velit Hippocrates per illa verba, pueris concreſcere magis lapides à mictu. *quem imitatus Auicenna, ait. & iterum lapis renum generatur ſecundum plurimum, & non adhuc mingitur vrina, ſed eſt ſedimen vrinæ retentum cum ea; lapis ueſicæ coagulatur ſecundum plurimum poſt ſeparationem urinæ, & eſt fex urinæ, quæ non aſſociatur ei; ſed poſt ponitur ab ea.* ratio eſt, quia dum lapis in rene gignitur, vrina cum ſuo ſedimento retine-

6.epidem.

tur

tur obſtructis renibus, & vi illorum facta imbecilli. lapis autem veſicæ poſt mictum coagulatur; quia remanet craſſum, mingitur autem id, quod eſt tenue & album, vt docet Hippocrates. Atque hæc eſt vna expoſitio. alia vero eſt, ſi dicamus, pueris poſt mictum gigni calculos, intelligimus in veſica; ante mictum vero in renibus: quia vrinæ à renibus ad veſicam tranſitus non dicitur mictio; ſed ante mictum. cum autem è ueſica foras proiicitur, tunc mictio dicitur. poſtquam in pueris (inquit Hippocrates) generari calculos, remanẽte eo, quod in vrina eſt craſſiſſimum. cæterum calculorũ morbus raro in alijs animalibus, quàm in homine reperitur. fortaſſe præſtat id referre, ad vniuerſalem obſtructionis originem: fit enim lapis obſtructione craſſi humoris. conſtat autem in homine frequentes eſſe obſtructiones meatuum, ex quibus, quæ vaſa occupant, febres, quæ vero poros corporis, morbos diuturnos pariunt: vnde euaſit inter omnia animalia maxime morbis obnoxius. quòd autem obſtructionibus frequenter corripiatur homo alimenti copia, exercitiorum inopia, & naturalium facultatum infirmitas in cauſa eſſe videtur. in brutis vero licet vrina ſit turbida, craſſa, & impura valde, non tamen lapide laborant: quia excrementa partim per amplum ſpatium exeunt, partim in cornua, roſtra, vngues, aliaſue huiuſmodi partes reſoluuntur. Hæc igitur habuimus, quæ de concauſis calculorum diceremus.

De aere aq. et locis

Quibus annectendæ ſunt nonnulla, quæ de cauſis differentiarum remanent explicanda vt in totum abſoluatur hæc de cauſis tractatio.

DE

DE CAVSIS DIFFEREN- tiarum calculi. Cap. X.



Edem calculorum causæ pro vario efficiédi modo diuersaque materia differentes gignunt calculos. duriores enim grauiores, densiores in vesica fieri consueuerũt; nec nõ etiam maiores ob amplam capacitatem, temporis diuturnitatem & maiorem caloris ac materiæ copiam. ab alimento omnes prouenire calculi differentias, putat Paracelsus: aqua enim tales (inquit) gignit in corpore calculos, quales extra generare solet; si duros densos graues, vt silices in alueo creat, tales quoque in corpore generabit. si vero molles tophaceos. eiusdem etiam naturæ fient. illiquabiles autem sunt omnes calculi; quòd adustione sint geniti, per quam non solum humor, sed etiam spiritus resoluti sunt. Fiunt vero multi lapides, quòd in diuersis temporibus gignantur, aut diuersis locis, aut etiam frangatur vnus vel in eodem tempore plures fiant, diuisis seminibus. Veluti enim in animalibus quibusdam, licet natura ad generandum vnum conspiret semina tamen aliquando diuiduntur, & sic plures nascuntur. proinde sæpe duos in vno ouo vitellos conspicimus, duas in vna siliqua castaneas: sic si lapidum semina in renibus, & vesica separentur plures gignuntur. figura lapidis loci figuram solet habere, in quo fit: ideo renales cum rotunditate oblongi, vesicæ rotundi magis; eo quòd vndique atterantur. quod in aquarũ lapidibus videmus: *nam rotundi sunt* (ait Aristoteles) *quia extrema adepto circumtractu in rotundam se colligunt formam. hæc enim sola simili extremo clauditur.* mare autem quoquo versus agitando cir- Sect. 24. Probl. 36

cum undique frangit, atque obtundit. lapidum colores à materia pendent, in qua fiunt. gignuntur autem omnis coloris, & in renibus, & in vesica: non enim perpetuum est calculos renum esse rubeos, vesicæ autem albos, cum testimonio, & Anatomicorum, & Sectorũ habeamus reperiri, & rubeos in vesica, & albos in renibus, materia igitur in causa est: *hæc enim* (vt ait Hippocrates) *colorat lapidem: si enim sinas ipsam vrinam* (inquit) *ad modicum tempus depositam subsidentiam crassam videbis. & si quidem bilis præualuerit, subruffam. si vero à pituita fuerit morbus crassam, & albam.* Perpetuo namque ex humorum coloribus peccantem materiam inuenit Hippocrates. sic de lingua asserit reddi à tangentibus ipsam humoribus, aut rubeã, aut nigram, aut flauam, aut albam. Hæc igitur de causis calculorum dicta sufficiant. Nunc illorum signa perquiramus, quo primum membrum propositum absoluatur, quòd dignotiorem continet.

4. de morbis. *6. epidem.*

DE CALCVLORVM *signis.* *Cap. XI.*



Ignum accipimus nunc pro eo, quod quocunque modo aliquid significare potest. sic morbi essentia, causæ effectus, similitudines signa præbere possunt. Quod vero ad essentiam attinet; cum malum hoc in intimis partibus corporis lateat, non facile ex ea signa sumere poterimus; proinde illa numerabimus, quæ ab effectis, & causis sumuntur. Oportet autem omnia simul signa colligere, quæ in calculosis visuntur, viresque eorum expendere; sic enim aditus facilis paratur ad dignotionem, prognosticum, & medici actionem:

nem: siquidem in omnibus ijs illud commune est, vt per signa inueniantur. Signa igitur, quæ à morbi effectibus sumuntur, alia sunt quæ peculiarem desiderat diligentiã, quæ scilicet adeo ægrotos infestant; vt medici opus ad se conuertant. Alia autem; quoniam vt signa solum considerantur, leuiter memoranda sunt, quatenus scilicet nos in cognitionem ducunt. Symptomata ergo, quæ in hoc malo apparent, alia ad actionem læsam spectant; alia ad excrementa; alia denique ad qualitates. sub actione læsa comprehendimus etiam tristem actionem; ad quam pertinet dolor, qui in hoc malo vehemẽter excruciat ægrotantes. Ad læsam actionem pertinet vrinæ difficultas pudendi erectio, vomitus, vigiliæ, alui siccitas, tenesmus, sitis, cibi fastidium. Ad excrementa referuntur lapilli, arenæ, vrina, & sanguis. A qualitatibus vero mutatis, nil memorabile est, quod sumamus, nisi horror, qui aliquando corripit ægros. Hæc igitur sunt signa à symptomatibus sumpta. A causis vero signa sumimus, dum coniectamur, hũc hominem calculo laborare: quia calidus, ac biliosus, quòd iecur, renes, vesicam calida habeat. quòd cibis vsus sit crassis, lentis, impuris, quòd aquis prauis, aut eiusdem rationis vinis assuetus sit quòd cruditates multas aceruet, quod aluum sua natura siccã habeat, quòd ortus sit à parentibus calculosis, quòd sit puer, aut senex: omnes enim hæ sunt causæ nocentes. à iuuantibus vero, si ijs remedijs melius habet, quæ ad calculum adhiberi solent. denique à similitudine signa sumimus, dum obseruamus, quæ in alijs calculosis apparuerunt; quos certo cognouimus calculo laborasse, & ex illis per analogiam colligimus, quod intendimus. ex his signis, quæ à symptomatibus petuntur peculiarem nunc diligentiam desiderant: causę namq; iam explicatæ sunt, propterea de illis dicendum, ab omnium grauissimo incipientes, quod ad tristem actionem spectat, nempe dolore.

re. qui ita aliquando hominem molestat, vt mortem; quasi minus malum appetat.

DE DOLORIS NATURA, deque illius differentijs, & qualis sit in calculosis. Cap. XII.



T melius cognoscamus, quę dolorum differentiæ in calculo reperiãtur; prius quid dolor sit, & à quibus causis fiat, dicendũ est. Est igitur dolor molestia quæ ex tristi actione procedit, non quòd dolor sit ipsa actio, qua obiectum agit in sensum; sed quod ad illam sequatur; sicut caliditas aliud est ab alteratione, & motu per quem acquiritur. Quòd si aliquãdo Galenus actionem tristem dolorẽ vocat, abutitur nomine causæ pro effectu. Huius igitur molestiæ, quæ ad tristem sequitur sensum, duæ sunt causæ; sensus scilicet ipse, & id, quod sensum ipsum immutare potest: sensus nãque requiritur, quia pars, quæ non sentit, dolere haudquaquam potest. vt vero fiat sensus tria sunt necessaria, primo vt pars sit sensibilis: ossa enim non dolent, secundo vt instrumenta libera sint non impedita, per quæ sensus communicatur; vt nerui. tertiò, vt cerebrum, ac princeps facultas non laboret: proinde phrænitici dolorem non sentiunt, quòd mens ægrotet, iuxta illud Hippocratis. Quicunque parte corporis dolente, dolorem fere nõ sentiunt ijs mens ægrotat. cæterum obiectum, seu id, quod sensum mouet, eius naturæ esse debet, vt faciat subitas, & magnas mutationes; cuiusmodi sunt alterãtia, & continuum soluentia. Alterantia autem maxime sunt primæ qualitates, & inter istas calidum, & frigidum: humidum enim & siccum ad dolorem inferendum inepta iu

2. Aphor.

dican-

dicantur. Quæ vero continuum ſoluunt, maxime ſunt ſecundæ qualitates, acutum, ſcilicet, graue, acre, mordens. cum autem dicimus alterantia, & continuum ſoluentia doloris eſſe cauſas, non ita intelligere oportet, quòd primò, & per ſe id cõtingat, quia vnicus effectus duas cauſas primas habere non poteſt. Igitur vel aliquid ijs duobus commune, vel alterum ratione alterius cauſa erit doloris. ſed quid iſtud ſit commune videri non poteſt: ergo omnis dolor cauſam immediatam habebit, alterum ex illis duobus, alterationem ſcilicet, vel continui ſolutionẽ. ſed non eſt alteratio: quia primæ qualitates dolorem inferunt, ſoluendo continuum. igitur erit continui ſolutio prima, & per ſe doloris cauſa aſſumptum probatur: calidum enim tenuando, incidendo, fundendoque, frigidum ſtipando, & ad interna pellendo. ea igitur ratione pronunciauit Hippocrates omnem morbum vlcus eſſe: nam cum omnis morbus dolorem, & triſtitiam afferat, eodem teſte, & omnis dolor continui ſolutione fiat, & omnis continui ſolutio vlcus quoddam ſit, optima ratione ſtatuit, omnem morbum vlcus eſſe. Quamobrem idem Author non primas, ſed ſecundas qualitates maxime morborum cauſas eſſe affirmat, quòd hæ manifeſte cõtinuum ſoluant. Cuius hæc ſunt verba. *Atqui hoc maximum ſignum eſſe puto, quòd non propter calidum ſimpliciter homines febricitent, nec hoc ſit ſimpliciter affectionis cauſa; ſed eſt amarum ac calidum idem, & calidum, ac acidum, & ſalſum ac calidum, & alia infinita, & rurſus frigidum cum alijs facultatibus coniunctum.* hæc ille. per quæ manifeſtum facit, primas qualitates paruam vim habere gignendi morbos, imo illos, quos gignunt non ſui ratione, ſed ſecundarum ope, quæ manifeſte continuum ſoluunt. Dolor itaque moleſtia eſt, quæ ad triſtem ſequitur actionem, ab ijs enata, quæ continuum ſoluendi vim habent. Nunc de differentijs dolorum dicẽdum vt videamus, quę

3. de fracturis lib. de flatibus

De veteri medicina.

in cal-

6 aphoris. in calculosis reperiantur; magni enim existimat Hippocrates huius speculationem. dum ait. *In doloribus lateris, & pectoris cæterarumque partium, an ægri multum differant discendum est*. Differentię ergo doloris ab illius essentia, causis, & effectibus desumuntur: cum enim dolor sit molestia quædam, vel tristitia, in qua qualitatē, & quantitatem consideramus; ideo hæ differentias essentiales parient. Ad quantitatem igitur pertinet dolor magnus, paruus, maximus, vehemens, minimus, languidus, multus, paucus. Ad qualitatem spectat grauis, acutus, pulsans, pungens, mordens, tensiuus, vlcerans, terebrans, stimulans, contundens, stupens, cōuellens, pruriens, vriginem inducens. Quamuis hæ differentiæ ad causas referri possint; ad quas pertinent illæ, per quas dicimus dolores, alios calidos, alios frigidos, sic solet nominare
6. epidem. Hippocrates recentes dolores calidos, antiquos autem frigidos. sic dicimus, dolorum alios benignos, alios malignos. A parte affecta dicimus alios profundos, alios superficiarios, latos, angustos. A modo, alios confestim, alios paulatim genitos. à tempore alios antiquos, alios recentes, alios continuos, alios interpollatos. Ab ordine, alios ordinatos, alios sine ordine affligentes. Ab effectibus verò differentias sumimus, dicentes, dolorum alios parere inflammationes, alios febres, alios conuulsiones, alios animi deliquia, vigilias, desperationes, & cætera eiusmodi accidentia. Ex ijs igitur dolorum differentijs multæ in calculosis reperiuntur, magnum, grauē, vehementemque sentiunt dolorem, cum lapis mouetur vel à substantia renum ad illorum cauitatem, vel ab eorum cauitate, ad vreterias, vel à vesica ad canalem virgę. at in reliquis temporibus solet tantummodo sentiri grauis dolor, veluti ponderis cuiusdam vbicumque consistat Lapis, præterquam si in renum substātia sit; in qua etiam dum augetur, vehementem infęrt dolorem. Solet

antem

autem dolor in hoc morbo, vbi vehemens eſt, eſſe magnus, grauis, pungens, & acutus. Ineſt item calculoſis ſtupidus dolor tum in teſtibus, tum in cruribus; maxime in ijs, qui renali calculo laborant ob venarum cõſenſum; quæ magnæ venæ ſoboles ſunt. Solet quoque adeſſe dolor pruriginoſus, & vriginoſus; maxime ijs, qui calculo veſicæ laborant. Ideo ait Hippocrates, pueros, qui calculo veſicæ laborant, fricare, pudenda: ineſt enim pruritus; quia à calculo in veſica detento quædam fit veluti extimulatio; vnde acres vapores excitantur, qui cuti impacti pruriginem inferunt; quæ tamen perpetua nõ eſt. Vriginoſus tamen dolor, per quem vſtionis quidam ſenſus tum in præputio, tum in collo veſicæ ſentitur, inſeparabile ſignũ à veſicæ calculo eſſe videtur: cuius cauſa eſt naturæ perpetua extimulatio ad lapidis expulſionem. Eſt autem hic affectus proprius carnoſarum partiũ: ideo maxime in collo veſicæ, & præputio ſentitur. Solẽt autem calculorum dolores eſſe profundi: quia in intima corporis parte moleſtant lateque ſe diffundunt: renum enim calculus dolorem extendit ad ilia, teſtes, crura, ſpinam, lumbos. veſicæ verò ad totum peritoneum, anum, coxas, tibias. Sunt autem dolores hi non continui, ſed per interualla affligentes, præterquam grauans, & vriginoſus: quorum primus omnem calculum comitari videtur: ſecundus autem eum perpetuò, qui eſt in veſica. Non eſt autem dolor proprium accidens huius morbi; cum alijs multis inſit, nec fortaſſe inſeparabile: quia exiſtente in veſica calculo paruæ magnitudinis vix ſentitur. Hęc de dolore dicta ſint, quem ad triſtem actionem ſpectare dicimus. Nũc ad reliqua ſymptomata accedamus, quæ ad læſam pertinent actionem.

De aere aq. et locis

DE SI-

DE SIGNIS LAESAE actionis. Cap. XIII.


Enum, & vesicæ actio ea pręcipue est, vt per hæc membra vniuersum corpus seroso excremento purgaretur: triplex enim nascitur excrementum dum alimentum concoquitur, terreum primum, quod bis expurgari debebat: nam cum animaliū corpora fistulosa sint, & vndique canalibus perforata, morborum frequentissima causa est obstructio; sed obstructionum occasio tota est crassities sanguinis ex terræ copia; propterea oportuit terreum excrementum non à solido tantum alimento in ventriculo secerni per intestina; sed & à succo in hepate per lienem. secundum excremen tùm ad ignem pertinet. bilis scilicet, nisi enim ad fellis vesicam, & intestina pelleretur, per excessum caloris humidum vitæ dissiparet. tertium excrementum aqueū est: quia ex abundanti aqua periculum impendebat extinctionis natiui caloris. ideo expurgari necessum fuit, per renes, & vesicam. aereum autem nullum est excrementum: quia ea alimenti portio ceu vtilis reseruatur, & nō excernitur. est autem actio renum tota naturalis in vesica etiam animalis, quæ ledi solet tripliciter in calculosis: aliquando ablata est in totum, cum vrinæ nil excernitur, quod malum schuriam Gręci vocant. aliquando vero cum difficultate mingitur vrina; idque dupliciter contin git; aut cum difficultate tantum frequenter mingit. & dicitur malum stranguria, aut cum difficultate, & dolore, & appellatui disuria. hæc vero duo symptomata ad actionem pertinent deprauatam, deprauatur autem actio in tempore, in qualitate, quantitate, & modo. In tempore: quia ante iustum tempus vrina excernitur. in qualitate:

litate: quia difficilis eſt vrinæ excretio. cum dolore, & morſu. In quantitate: quia pauca mingitur. In modo: quia confertim & aceruatim fieri debebat & fit frequenter. Excitatur autem vrinæ difficultas in ijs ab obſtruentibus vrinarios meatus; vt ſunt lapides arenulæ, grumi, craſſus humor. quæ dum in totum obturant, ſchuria naſcitur; dum vero non perfecte obſtruunt, ſtranguria, & diſuria. cæterum vrinę difficultas nec proprium nec inſeparabile accidens eſt calculi: Qui enim in renibus calculos habent, non eſt neceſſarium, vt vrinæ difficultate laborent; præterquam cum tempus acceſſionis adeſt: tunc enim continuo ad mictionem ſtimulantur; ad lapidem tamen in veſica contentum fere ſemper ſtranguria ſequi ſolet. Veſica enim neruus quidam latus eſt(vt ait Aræteus) ideo maxime ſenſibilis: quare à re præter naturam ſtimulata continuo ad meiendum excitatur. læditur & animalis facultas ſenſibilis: quòd auctæ ſint vigiliæ in calculo: Coguntur enim vigilare ægrotantes, ob dolores, & mictiones frequentes; non eſt tamen hoc accidens aut proprium, aut inſeparabile ab hac affectione, veluti vomitus,& cibi faſtidium; quæ ad renalem calculum ſequi ſolent. veluti etiam ſitis, febris, in nonnullis iliaca paſſio, reneſmus, aut alui ſuppreſſio. erigitur quoque pudendũ ijs præcipue, qui lapidem in veſica habent ob ſpirituum copiam, qui ad partem confluunt. Quæ omnia nec perpetua, nec propria ſunt calculoſorũ. Hæc de ijs quæ ad actionem læſam pertinent; nunc ad ea, quæ excernuntur, tranſeamus, à quibus etiam indicia calculorum ſumenda diximus.

DE EXCRETIS IN CALCVLO.
Cap. XIIII.


Rimum, quod excerni ſolet, ſunt lapilli: expellunt enim lapillos omnium fere differentiarum, & maiores, & minores; aliqui ſine dolore, & cum facilitate; aliqui cum dolore; idque per interualla ſine ordine. locus vnde excernũtur, ſunt renes, vreteres, veſica, & canalis virgæ. non eſt autem hoc ſignum inſeparabile huius affectionis; cum multi ſint, qui lapidem in renibus, ſeu veſica concipiunt ſine aliqua lapidum excretione: eſt tamen proprium. ſecundum, quod excerni ſolet, ſunt arenulæ: arenularum autem nomine corpuſcula ſignificamus trium differentiarum; quędam enim vere ſunt arenæ; alia vero lapidum ſunt potius fruſtula quędam, quam arenæ. quę potius arenoſa vocantur. Alia autem farinã reprę ſentant, quòd minutiſſima ſint, veluti puluis. hæ arenulæ multæ, & frequenter in quibuſdam conſpiciuntur in alijs vero paucæ, & raro: apparentque diuerſorum colorum albæ, rubææ flauæ. locus vero vnde promanãt, ſunt hepar, venæ, renes, & veſica; generantur enim arenæ aduſtione quadam; ob tubercula etiam craſſarum venarũ fieri arenas dixit Hippocrates. *Nam quibuſcunque arenoſa, aut tophi in vrinis ſubſident, ijs tubercula circa craſſam venam enata ſunt, & ſuppurata; poſtea vero tuberculis non cito effractis, tophi ex pure coaliti ſunt, qui per venam foras exprimuntur unà cum vrina in veſicam.* Arenulæ igitur nec proprium nec inſeparabile accidens ſunt calculi; non proprium; quia per alias affectiones videntur; nec inſeparabile quoniam multi lapidem habent, non tamen arenas meiunt. quinimo tantum

De nat. humana.

tum

tum abeſt, vt lapidis ſigna ſint arenæ; quin à lapide potius defendere ſint aptę: plurimi enim arenas mingunt ſine vllo calculi timore. nam (vt ait Auicenna) ex arenularum excretione virtutis robur, & materię benignitas oſtenditur. quæ materia non in lapidem cogitur, ſed in arenas diſſoluitur. Sed ſi hoc verum eſt? cur Hippocrates ex mictu arenularum colligit lapidem veſicæ, in hunc modum ſcribẽs. *Quibus in vrinis ſubſident ſabuloſa, ijs veſica calculo laborat.* Galenus addit ijs veſica, vel renes calculo laborant. Cardanus tria affert per quæ veram efficit ſententiam Hippocratis. primum in eo verbo, eſt, in quo dixit, ſubſident; nam arenæ, quæ lapidem non indicant, non ſubſident; ſed ad matulę latera hærent. Secundum, quod dixit, ſabuloſa, non arenulæ: nam arenoſa ſunt lapidum fruſtra. tertium quòd arenæ non frequenter appareant; ſed per interualla; quia ſi continuo apparent arenæ, non datur locus calculi gignendi. Sic vera eſt (ait) Hippocratis ſententia. addit idem Author experimentũ noſcendi veſicæ calculum. Iube, inquit, hominem ſaltare, & equitare, aut vehementer exerceri, & exhibe lapidem minuentia, inde vrinam inſpice: ſi tribus, aut quatuor diebus puluis appareat. lapis eſt durus; ſi lapidum fruſtra, & quaſi arenulæ, tophus eſt: ſi vero nihil apparet lapis non eſt. Caue tamen, inquit, ne exercendo hominem vrinę ardorem inducas. cęterum Braſauolus ſententiam Hippocratis aliter interpretatur, dicens, ſe inueniſſe codicem, in quo aphoriſmus ita legebatur. Quibus in veſica eſt calculus, ijs in vrinis ſubſident ſabuloſa. quod ſanè, magis veritatem continet; licet non ſit perpetuum, arenulas expellere, qui calculo veſicæ laborant, vt plurimum tamen contingit. ſunt enim arenę non ſolum inditium calculi veſicæ, ſed etiam renum; vt docet Hippocrates reprehendens illos, qui cum fuluas arenulas vidẽt in vrinis, veſicę calculos colligunt; cum & à renum calculis

4 aphoriſ. 79.

In cõmẽt.

De internis affectionibus.

culis fuluæ arenulæ emanent. Illud autem ex ipſo eodem Authore ſciendum eſt, nos numquam vno ſigno debere eſſe contentos: ſed omnia conſiderare ad rei certam coniecturam. At illud non iniuria quæret quiſpiam? an magis calculorum iniurijs exponantur, qui arenas mingunt, ijs, qui illas minime emittunt, ac purum excernunt: ſed fieri poteſt, vt qui purum mingunt, nil alienum in renibus, aut veſica habeant robuſtis hiſce partibus exiſtentibus; & facile ſi habeant expulſuri, quem ſtatum quis non anteferat arenoſo, in quo humor adeſt, & is aſſatus, & qui occaſione lapideſcere poteſt, accedente ſcilicet pituita, vnde glutinum fiat, non ſæcus quam in ædificijs ex calce, & arena. ſed fieri etiam poteſt. vt qui nihil horum excernit ob renum, aut veſicæ imbecillitatem retineat, multa, craſſa, quæ paulo poſt in lapidem tranſeant. hunc peius habere arenoſo certum eſt. ita frequentes in vrina arenulæ quandam ſed exiguam in lapidem propenſionem oſtendunt quęque ſæpe in lapidem non tranſeat: pura autem vrina vel ſummam immunitatem locis robuſtis exiſtentibus, vel plurimam aptitudinem imbecillibus ſignificat. tertium quod ab excretis ſignum calculorum eſt, ab ipſa vrina ſumitur. Vrina in calculoſis (ſi ſubſtantiam illius ſpectes) ſemper craſſa eſt: quia tenuis vrina ad lapidis generationem eſt inepta. Quæ igitur habet multum ſalis (inquit Auicenna) ac terrenæ ſubſtantiæ, hæc calculo eſt accommodatiſſima. gignitur autem ſal ex aquoſo humore, in quo multum terrei ineſt virtute ipſius caloris. eſt igitur vrina in hoc malo craſſa ante lapidis coactionem, impuraque, & ſedimentum multum habẽs. dum vero lapis cogitur, ſolet apparere vrina tenuis, & alba: *nam* (vt ait Hippocrates) *vrinam ſplendidiſſimam mingunt calculoſi, ad ſimilitudinem ſeri; eo quod id, quod craſſiſſimum eſt, & bilioſiſſimum, iſtic manet, & coaceruatur, & concreſcit*. vbi autem acceſſio vrget, doloreſque adſunt,

De aere aquis & locis.

varia

varia apparere ſolet, turbida, nigra, ſanguinea, craſſa, tenuis. Illud autem ex Auicenna notare licet, quòd quanto vrina in calculoſis purior apparet, eo magis lapis durior efficitur. Si quis autem (inquit Paracelſus) modum cognoſcat, quo hypoſtaſis vrinæ ex ea ſeparatur, hic (ait. ille) verus huius morbi erit curator. ſed interim modum non docet. illud tamen obſeruandum eſſe moneo calculoſis, vt ſuam ipſorum vrinam, quam per noctem, aut ieiunis exiſtentibus, fecerunt, per quatuor, aut ſeptem dies adſeruent inde poſt prædictum tempus conſiderent id, quod ſubſidet in prædicta vrina: Nam in hoc tempore totum id, quod terreum eſt, in vrina ſeparari ſolet. vnde quantitas, & materiei qualitas dignoſcitur; nec non & morbi tempus, non augeatur affectio, aut declinet. Quam rem pluries cum ego in mea ipſius vrina obſeruaſſem, ob ſuſpitionem, quam de veſicæ calculo habeo, inuenio poſt aliquot dies arenulas rubras ſubſidere in fundo, cum prius vrina pura micta eſſet, argumẽtum certum harum arenularum materiam in venis habere originem. conſpicio & muccum quędam album, quaſi lacteum quidpiam eſſet; vrina tamen naturalis mihi eſt tum ſubſtantia, tum colore tum etiam contentis, & ſtrãguria laboro iam per decem annos. arenulaſque per interualla, & rubeas, & albas, facio; nullus tamen dolor vnquam me infeſtauit. nec vero colligere oportet lapidem adeſſe, ſi vrina ſtatim poſt mictum concreſcat. Refert enim Cardanus Leonem quẽdam Monacum octuageſimum annum agentem, ſæpe tantum pituitæ concretę in matula illi oſtendiſſe, vt ouum anſeris magnitudine ſuperaret; qui tamen lapidem numquam genuit. Atque ipſe de ſeipſo hæc. *Mihi* (inquit) *iam ab annis hinc triginta ruffæ prodeunt arenæ, & nunc etiam albæ, & quotidie copioſæ, atque omnino citra vllam calculi ſuſpicionem tam renum, quam veſicæ; Quin etiam (quod longe maius eſt) iam toto de-*

cennio

cennio exacto tantum albæ arenæ adhæret matulæ parietibus adeoque concretæ, vt intra quindecim dies, si non abluatur, tota lapidescat. Quare dubitat? cur in vesica non concrescat. ratio (ait) quia vrina, vt sal, in matula concrescit, in vesica uero nequaquam ob calorem, qui urinam dissoluens, impedit, quo minus concrescat. extra uesicam refrigeratur, corrumpitur, & dissoluitur; quare concrescit. signum autẽ, quod ab vrina sumitur, non est aut inseparabile, aut proprium: quia, quæ in calculosis spectatur vrina, in alijs etiam affectionibus videtur: nec vrina solum renum affectiones & vesicæ, sed hepatis, ac venarum ostendit. Quamobrem Hippocrates considerandas, esse vrinas in febribus, ait? an morbum totius ostendant? an solum vesicæ, & renum. cȩterum quartum quod excerni solet in hoc morbo sanguis est, siue lapis in renibus, siue in vesica contineatur. contingit autem id, aut vbi calculus spinosus est, qui partes exulcerans, sanguinem euocat; nec non etiam venarum apertione, si in renibus consistat: non enim valet natura eo tempore sanguinem ab vrina seiungere. hȩc habui, quæ de natura calculi in vniuersum dicerem. nunc, si libet, ad particularia transeamus, ac breuiter doctrinam accommodemus renibus & vesicæ affectis singulis per sȩ, à renali calculo incipientes; illudque obseruantes, vt primo partis historiam exponamus (habet enim pars causæ rationem, atque instrumenti) inde vero morbi naturam particulariter explicemus.

In progno stic.

DE RE-

DE RENVM HISTORIA. Cap. XV.


X operatione ipſorum renum per reſolutionem deducemus, eorum numerum, ſitum, figuram, ſubſtantiam, & connexionem. Operatio itaque renum eſt attrahere ex ipſo hepate & venis ſeroſum excrementum, & attractum ad veſicam pellere. eſtque hic motus naturalis conſtans ex pulſu & tractu, & per fibras obitur, quæ multæ, & numeroſæ in renibus ſpectantur. Cum uero id excrementum ſit quantitate multum, debebat natura vel vnum magnum efformare renem, vel duos qui defectum magnitudinis numero corrigerent. non conueniebat vnum magnum efformare tum ob corporis æquilibrium, tum etiam ea ratione, quòd ſi alter læderetur, alter munus corpori neceſſarium obire potuiſſet, vt autem in attractione eſſent validiores, non immediate poſt hepar ſunt locati, ſed paulo inferius ad ſpinam poſt ſtomachum; alter à deſtris, alter vero à ſiniſtris. eſt tamen dexter ſiniſtro altior aliquibus alijs autẽ contra: ne ſi recte locarentur attractio, aut impediretur, aut nõ fieret. Sortiuntur renes figuram cucurbitæ, quæ aptiſſima eſt ad trahendum. cum vero tenue illud excrementum ſeroſum ſit, & acre; proinde efformata eſt renum ſubſtantia ſolida, cordis ſubſtãtiæ quàm ſimillima, carne & fibris conteſta, inſigni denſitate prædita; ne excrementum eorum ſubſtantiam penetraret; non tamen ita in totum ſolida fieri debebat, quin in medio amplam ſortirentur renes cauitatem meatibus peruiam, qua aditus materię daretur. Cum vero attrahant

ex he-

ex hepate renes, ideo cum illo connecti debebant. vnde simulatque vena caua iecoris gibbum est egressa, in duos insignes ramos diuiditur, quorum alter septum transuersum perforans, summa corporis petit. alter vero spinæ incumbens, non multũ progreditur, quin duos insignes ramos efficiat, ad vtramque partem productos, latitudine quidem magnos, sed longitudine paruos. qui in renum substantiam implantantur, & emulgentes venæ dictæ sunt. Quæ duo vasa, vbi renum corpora permearunt, primo cauitatem insignem efformant, inde per totam illorum substantiam disseminantur: primo quidem sensibiles meatus effingentes, inde vero inconspicuos. sed ne id, quod per hæc vasa ad renes fluit, rursus retrocedat prudens natura membranas apposuit, quæ à foris intro prospicientes prohibeant, quominus id contingat. Vbi vero totum renis corpus permearunt emulgentes venæ, alterum gignunt meatum vreterum dictũ, vnde vasa vretera enata per longum iter extensa prope collum vesicæ implantantur, vt lotij canales efficiantur: vnde renes per hæc vasa cum vesica connectuntur; veluti cum corde per emulgẽtes arterias, quæ à magna dorsi arteria adeũt, per neruos cum cerebro; licet renum substantia nullum recipiat neruum, sentiantque ob membranam, ad quam ille pertingit. annectuntur etiam collo intestino, nec non etiam testibus, & cruribus ob venam magnam quæ ad partes illas propagines emittit. Sunt autem renes ex illis partibus, quæ insitas simul, & influentes facultates habent publico officio destinatæ, ac vitæ necessario. cæterum modus, quo ad vesicam pellitur vrina talis est. meatus illi, quos faciunt emulgentes, veluti spongiam quandam formant. attrahunt igitur renes serosum humorem simul cum sanguine; atque vbi ren ad se sanguinem suxit, grauatus à tenui excremento, comprimitur. & sic lotium exprimit per vreteras, non secus ac si quis spon-

giam

giam humore tumentem manu præmeret. hæc de renum fabrica dicta sint cuius figuram subijcere libuit,



A. vena caua est. C. C. venæ emulgentes. B. B. renes. D. D. vasa vretera. E. vesica.

DE CALCVLO RENVM in particulari. Cap. XVI.



N renibus calculi omnium differentiarum gignuntur, densi, & graues, & duri, & his contrarij, diuersæ figuræ, coloris, rotundi tamen vt plurimũ cũ longitudine quadã, asperi, & lęnes. giguntur q; tum in renũ cauitatibus, tũ in illorum substantia. & qui in cauitatibus fiunt, aut libero motu mouentur, aut renum parietibus impacti adhærent. causa efficiens, calor est adurens primo hepatis, inde venarum, & ipsorum renum. materia muccus quidam est, ad luti instar, qui non secus ac lateres cum aduruntur, concrescit. Modum ita explicat Galenus. *ostensum si quidem est, ait, in commentarius de naturalibus facultatibus renes ad sese trahere, quicquid serosi, tenuisque in uenis sanguinis permiscetur. ubi uero meatus, qui in uentrem huiuscemodi serum excolant, plus nimio reserati fuerint, simul etiam aliquid ex ijs, quæ crassiora sunt, excolatur; quod quando calefactum in renum ventre similem poro acceperit consistentiam (si quidem renum excretoria vis totum hoc cum vrinis expulerit, arenosæ in ipsis subsidentiæ fiunt. si uero adhærens uentri renis fuerit, difficulterque ab eo auelli possit, alterum quidpiam sibi simile ex concaua uena suscipiens, amplius augetur: semper enim id, quod influit, ei, quod præerat, circumnectitur. atque hoc pacto porus digne amplitudinis constituitur.* hæc ille. Id ipsum breuius explicans Hippocrates. hic morbus (inquit) fit à pituita, cum ren susceptam in seipsum pituitam, non rursus demiserit; sed in ipso in tophum concaluerit. causæ sine quibus non gignitur calculus renalis, sunt alui siccitas, cruditas, materiæ retentio. Adiuuant, cor-

6. epidem.

Lib. de internis affectionibus.

poris habitus biliosus, adustus, venus assidua, exercitia vehementia; per quę renes affliguntur, vt equitationes, innata ad calculos à parentibus fæcunditas hæreditaria, decubitus supra dorsum, maxime in plumeis lectibus. Sed quid dices Auicennæ, qui inter alias de lapidis curatione scribens, dormire (inquit) supra dorsum lapidi confert: is namque situs vitiosus est: tum quòd materias eò deducat, tũ quia renes immodice calfaciat. partes enim, quæ aut morbo, aut natura reliquis sunt imbecilliores, non exigunt aut exercitia, aut operimenta, aut calorifica; inter quę is decubitus numeratur. Itaque podagricis pedes ne exerceto, cæphalalgicis, caput tegumentis ne contegito, nephriticos à vesti cinctu, aut in dorsum decubitu arceto. nam cum in partẽ natura sua debilem excrementa decumbant? quid non facient vbi ex calorifico tanta accessio ad fluxionem facta est, decubitus igitur supinus multis nominibus est condemnandus, tum quòd cerebri morbis noceat. tum quòd respirationem fatiget, tum quod per ipsum membra ocientur. Qui enim ex ingenti labore fatigati sunt, eo maxime inclinant. Dicendum tamen est, hunc supinum decubitum, qui toto reliquo tempore damnatur, in excludendo tamen lapide, vreterijs, vel renibus impacto potuisse ab Auicenna commendari: nam in eo symptomate etiam descensum per scalas festinum, & inæqualem, equi vectionem quærimus. quę talibus per sanitatem religiose cauenda sunt; Quasi in eo remedio Auicẽna Hippocratem secutus sit: 2. Auct. 4
Is enim adhibens lateri dolenti fomentum munire illud, & contegere docet, ne suffitus ad nares, & os accedat, respirationis difficultatem aucturus, & febrem. qui & ipse suffitus procedente morbo, cum expectorare est animus, & coctam materiam inanire, ex industria paratur, & naribus offertur. sic decubitus in dorsũm reliquo tempore noxius est, cum detrudendus lapis est viarum laxi-

tate, & calore prodest, & expulsioni commodat. Hæc de causis. nunc de signis renalis calculi dicendum.

DE SIGNIS CALCVLI renalis. Cap. XVII.



D tristem actioné dolor pertinet. hic grauis est in renum calculo, acutus, vehemens, magnus, pungens accessionis tempore, dum vel lapis a substantia ad renum cauitatem, aut à cauitate ad vretera vasa pellitur. In reliquo autem tempore dolor grauis, quasi ponderis cuiusdam sentitur. sentitur autem dolor in interna abdominis parte; qui dolor etiam per colicas affectiones in totum similis sentitur. sic vt difficile admodum alterum ab altero distingui possit. distinguuntur tamen colici dolores à nephriticis, primo in loco: cum enim vrget supra renes dolor, aut infra, certum est ad illos non pertinere. Præterea nephriticus fixus quodammodo est, nec locum mutat; colicus autem locum mutat. Secundo in doloris vehementia: nam vterque dolor à cibo augetur; sed magis colicus. tertio à iuuantibus; nam euacuatione sursum aut deorsum colicus lenitur; & in totum aliquando desinit: non tamen nepriticus; is enim manet adhuc validus, permanente lapidis stimulo. sed & reliquis signis animum applicare oportet, per quę certo distingui hi dolores possint, maxime ab excretis: nephritici enim arenulas expellunt, & arenularum expulsione liberantur; non tamen colici. Aliquando tamen iunguntur ij duo affectus simul, quo tempore vix alterum ab altero distinguere valeas. Sed hic non immerito dubitabis? cur renum dolores adeo sint

acerbi,

acerbi, & graues: cum illi ramos neruorum non ſuſcipiant, niſi paruulos, & exiguos ex fine ſextæ & ſeptimæ coniugationis; nec illi ipſorum corpus, ſed membranā ſolum attingant. Soluitur tamen, quia grauata ex lapide cauitate impletiſque materia renibus circumtenditur membrana externa, quæ magnitudinem doloris parit. adde neruaceos vreterum meatus, qui doloris acerbitatem augent, quod maxime hæc vaſa ſint ſenſibilia, ideo numquam impenſius dolent, quam cum per vreteres calculus meat. diſtenditur autem hic dolor ad vniuerſam ſpinam ſic, vt vix flecti poſſint patientes, fitque ſtupidus in teſtibus, & cruribus dolor, vel quòd rami venarum, ad teſtes & crura pertinentes, cum magna vena annectantur: vel quòd ex eadem parte ſuſcipiant teſtes, & crura neruos, à qua renes. quamuis hanc opinionem reprobet Galenus, eos reprehēdens, qui vel per membranas quaſdam, vel neruos, vel peritoneum conſenſionem eſſe e renibus ad crura, dicunt. quòd abſque experientia loquantur. Refert igitur hoc ſymptoma ad conſenſionem cauæ venæ, quæ repleta partes implet, vnde ſpiritus tranſitus impeditur; & mouendi, ſentiendique difficultas oritur; quæ ſtupor dicitur. Ad læſam actionem pertinent vomitus. hic cum cibi faſtidio & flatu, renali calculo ſuperuenire ſolet. communia ſiquidem illa tria ſunt colico dolori; ſed in colico vrgentiora, maioraque conſpiciuntur. Succedit autem vomitus colicis, ob con ſenſum inteſtinorum cum ventriculo: ſunt enim corpora continua: & quia plenitudo, deorſum haurienda, ſurſum vergit; poſtremò quoniam bilis inferne exire prohibita ſurſum conſcendit. Faſtidium creat idem ad inteſtina conſenſus, multus ſurſum bilis fluxus, flatuum & humiditatum ad ventriculum decumbentium copia. Flatus autem multus adeſt, & quia naturalis negatur exitus: & quia excrementa retenta præter naturalem aceruant, & augent.

6. epidem.

augent. accidunt & hæc omnia nephriticis ob causas non dissimiles; præsertim vomitus: vrgent enim in colicum frequentius pituitosi. nephriticum etiam primo inuadũt pituitosi: antecedit enim pituita reliquos humores in vomitu; quoniam in ventriculo continetur, & gignitur. Sed in nephriticis ob cruditates inedias, vigilias, dolores, eruginosæ bilis vomitus sequuntur. vbi enim multæ vigiliæ præcesserunt, & dolores, multa bilis in stomacho gignitur, quæ excernitur. plerumque autem neque eo loci generatur, sed aliunde illuc fertur: nam stomachus, vt potè renibus adiacens, labefactatur; atque imbecillior effectus, & acuto sensu præditus, omnem fluxionem attrahit, & percurrit per os, quod est tenuius. post vomitum autem melius habent, leuata natura. Pertinet ad læsam actionem vrinæ difficultas: aliquando enim in renali calculo in totum retinetur vrina, lapide, & arenulis in totum obstruentibus; aliquando vero excernitur, sed cum difficultate, & dolore, idque paulatim, & frequenter; maxime accessionis tempore. Ad actiones læsas pertinent vigiliæ, sitis, intestinorum tormina, alui siccitas. Ad excreta pertinent lapilli, arenulæ, quæ per interualla emittuntur. Vrina, quæ in accessione pauca, tenuis, & diluta est, vbi dolor augescit, statim tota supprimitur; deinde vbi calculus à meatu vrinario excussus fuerit, crassa illa copiosaque profluit, in qua arenulæ multæ, & plerumque grandiores, calculique inæquales, & eorum fragmenta subsident. sanguinea quoque redditur ob causas prædictas. hæc sunt signa, quæ ab effectibus sumuntur. Quæ omnia breuiter Hippocrates sic numerauit. *In renem dolor grauis, cum implentur cibo, vomunt pituitam; cum vero redundarint dolores, eruginosa, & melius quidem habent. Soluuntur autem cum à cibis euacuati fuerint, arenulæque fuluæ subsident, & cruentum mingunt, torpor fæmoris e directo.* hæc ille. per quæ renalis calculi

acces-

accessionem breuissime circumscribit. & rursus alibi, *dolor acutus in renem incidit, & in lumbos, & in testem, secundum renem situm, & frequenter mingit, & stringitur paulatim, ac supprimitur vrina; et cum vrina procedit arena; et ubi per vrinæ meatū exit arena, dolorem fortem in meatu exhibet. cum autem ipsam per vrinam eiecerit, dolor remittitur. postea vero rursus in eisdem doloribus iacet. cum autem mingit etiam collum præ dolore fricat. Vulgus autem medicorun, quod non intelligit morbum, ubi videt arenam, putat vesicam e calculo laborare: at non vesica, sed rem lapide laborat.* Cæterum signa, quæ à causis sumuntur, sunt à nobis superius explicata; quare hic prætermittentur. cum autem calculus à renibus ad vreteres descendit, dolor vehementissimus est, & sæpe veluti acubus pungentibus ad ischion extensus, vrina nigra, cruenta, paulatim cum quodam ardore excernitur. Frequens lumborum frigiditas, calore intus doloris vehementia retracto. Hæc de signis renalis calculi in particulari dicta sufficiant. Nunc eadem obseruata methodo, eius, qui in vesica fit, peculiarem adducamus doctrinam. *De internis affectionibus.*

DE VESICAE FABRICA. Cap. XVIII.



Esicam in illum finem produxit natura, vt vrinam à renibus per meatus vrinarios exciperet, eamque debito tempore expelleret. quæ operatio, vt apte fieri posset, musculum sortita est, qui transuersis fibris donatus, eius carnosam partem, collum dictam, ambit, non in eum tantum vsum, vt claudens vesicam prohibeat, quominus vrina exeat ante de-

bitum tempus (vt multi putant) ſed etiam vt veſicam cō-primens meatus vrinarij obliquitatem adapertam ſeruet mictionis tempore. Iam vero, cum talis veſicæ ſit vſus, ſortita eſt Figuram rotundam capaciſſimam cucurbitæ inſtar: ſic enim multum retinere poteſt; hinc illius ſubſtantia membranea producta eſt: quoniam, cum magis, & minus incrementi eſſe ſuſceptura, ad diſtentionem debebat eſſe accommodata, qualis eſt membranę natura. Quam rationem in ventriculo, inteſtinis, vtero, ſeruauit natura. ceruix veſicæ carnoſa illius eſt pars, cui aſſiſtunt glandulæ quædam craſſæ, & albæ, græcis paraſtati, dictę. quæ per vaſa an fructuoſa ſemen excipiunt, quod per cōmunem meatum ad extremum vſque genitale iaculatur. Sita autem eſt veſica ſub abdomine, priori quidem parte pubis oſſibus, poſteriori vero inteſtino recto, & ſacro oſſi, veluti tutis monumentis adhæreſcit. Rurſus ſi veſica ſuſcipere debet vrinam, illamque pellere, cum renibus, & pudendo erat nectenda. Cum renibus igitur per vaſa vretera, quæ ab illorum inferiori parte exorta obliquo ductu in longum extenſa mirabili naturæ artificio veſicā adeunt, eamque perforant. non in primo ingreſſu totam, ſed dimidiam, inde ductum obliquum ad ſimilitudinem huius literæ S efficiūt paulo inferius veſicam permeantes, quo ſic producti impediant, ne vrina, quę in veſicam colatur rurſus retrocedat. continuatur item per ceruicem cum membro virili, cum cerebro per neruos, veluti cum corde per arterias, & cum hepate per venas. Eſt vero veſica membrum, quod inſitas, & aliunde manantes habet facultates, vitę neceſſarium, quòd corpus à ſeroſo excremento expurget, intra corpus ſitum, admodū ſenſibile, exangue, & pauci caloris. de cuius calculo in particulari nunc dicendum eſt.

DE VE-

DE VESICAE CALCULO in particulari. Cap. XIX.



Ignuntur in vesica calculi, & magni, & parui, & multi quique aliquando illius membranis tenaciter impacti adhęrent, colorum diuersorum. solent tamen esse vt plurimum albi flauescentes. eadem est causa efficiens, eademque materia, eędẽ concausę, quæ in renibus; quas veluti, & generationis modum optime explicauit Hippocrates, ita loquens. *Quorum quidem aluus satis fluida est, ac sana, & vesica non ardens, neque stomachus vesicæ valde coardescit, ij facile vrinam eijciunt, & in vesica nihil ipsis congregatur. Quorum vero aluus ardens, ac feruida fuerit, in his necesse est etiam vesicam idem perpeti: cum enim magis quam pro natura fuerit calefacta, stomachus ipsius inflammatur. vbi vero hæc perpetitur, vrinam uon demittit; sed in se ipsam concoquit & adurit & quod quidem tenuißimum in ipsa, est excernitur, & quod purißimum est transit & emingitur; quod vero craßissimũ, ac turbidißimum est coaceruatur, & concrescit primum quidem paruum, deinde maius fit. Dum enim voluitur ab vrina, quicquid crassum compactum fuerit, ad seipsum adaptat: atque sic augescit & in totum concrescit.* Hæc de generationis causis, & modo. Ac rursus, causam à materia petens, ait. *Fit autem pueris etiam ex lacte, si non salubre id fuerit: sed valde calidum. Quare dũ vrina aduritur hæc patitur.* Et rursus eadẽ de re verba faciens, *calculi morbi principium* (inquit) *oboritur à lacte cum puer lac impurum sugit. lac autem in nutrice impurum fit, si pituitotis cibis ac potibus, & alimentis impuris nutrix vtatur, Conferunt enim omnia in ventriculo illabentia in ipsa ad lac. habet autem & hæc res hoc modo; si*

De aere aquis et locis.

Ibidem.

nutrix non sana fuerit, sed biliosa, aut aquosa, aut sanguinea, aut pituitosa, lac etiam malum puero generatur; Consentiunt enim corpus, & ventriculus; & puer si de nutrice lac non purũ suxerit, sed biliosum, morbosus fit, ac debilis, & vbi suxerit lac non purum sed terreum, & pituitosum, & habuerit puer venas de ventriculo ad vesicam tendentes amplas attrahentes, lapis in vesica fit; veluti in aqua non pura. in calce, aut vase æneo turbata, & rursus sedata fex aceruata fit in medio sic sane et in vesica de vrina non pura existente non per vrinam eijcitur, vt quæ in cauo fit loco, & maxime aceruata collecta; & pituita ad fecem ad mixta gluten fit, & denique fex solida fit, & lapidis speciem refert quem admodum ferrum ex lapidibus ac terra, dum comburuntur, fit et in prima quidem in ignem immißione conglutinati sunt lapides cum terra adferri recrementum. at vbi iterum, atque iterum in ignem immißa fuerint, recrementum quidem foras decedit, liquescens ex ferro: ferrum autem in igne relinquitur, et recremento decedente subsidet, fitque solidum, ac densum. Sic profecto fex in vesica, dum pituita glutinum fit, emingitur id, quod ab vrina liquescit; fex autem subsidet, et densatur, ac solida facta est. Verum id, quod insuper affertur, adhuc magis quam id, quod arenosum decedit, concretionem facit. hæc illæ. Cæterum signorum, quæ lapidem vesicæ indicant, in primis dolor est, qui grauitatem quandam inducere videtur ad pubem, vesicę collum, anum, & peritoneum infert autem dolorem insignem dum in meatu vrinario consistit, aut sursum vel deorsum mouetur. Adest & pruriginosus dolor: proinde dixit Hippocrates. *Quare pueri, & calculosi fricant, et trahunt pudenda uidetur enim ipsis causæ mictionis eo loco esse.* Vriginosus quoque dolor fere perpetuus illis est, per quem vesicæ collum, & præputium molestissimo sensu quasi exuri videntur. Leditur & vesicæ actio: quòd vel vrina in totum supprimatur, vel stranguria infestet fere perpetuo.

Cum

Cum enim urinam emittit (ait Hippocrates) *lapis ad uesicæ stomacum alabitur ab urina impulsus, et urinæ emissionem impedit*. cum vero adhæreat vesica recto intestino, non mirum est si communicata affectione quibusdam in totum aluus supprimatur, alijs vero tenesmus, seu assidua egerendi cupiditas innascatur. Vrina ante lapidis generationem crassa turbida cum multo sedimento : cum vero iam gignitur, vel genitus est calculus, alba, perlucida, & tenuis, vt docet Hippocrates. *Signum* (inquit) *eius quod & hæc ita se habeant hoc est vrinam splendidissimam calculosi miugunt, ad similitudinem, serui eo quod id quod crassissimum, istic manet, coaceruatur, ac concrescit. & plerique sane hoc modo lapidem, seu calculum contrahunt.* Rursus excernuntur in vrina arenulæ sed non continue, at per interualla, nec non lapidum frustula. Sanguis quoque excerni solet, vbi lapis vesicam ferit, ac vlcerat Quæ omnia signa breuiter colligit rursus Hippocrates in hunc modum. N*am vbi meiere vult, dolore affligitur, & vrina paulatim fluit veluti in vrinæ stillicidio; & est subcruenta, nimirum vesica à lapide exulcerata, & vesica inflammata est. verum hoc signum inconspicuum est* Indicat *tamen summa pars præputij. quandoque mingit arenosa; verum à talibus, qualia ego dicam eijcit autem aliquando lapides duos, aut plures paruos generatos eodem modo, veluti de vno dixi.* F*iunt etiam tali modo, cum lapis fuerit concretus, & profunde subsederit in vesicam in arena separata : ita vt ipsam aduenientem lapis non assumat in ipsum, sed grauior, ac copiosior fiat : ut tamen ipsa ad seipsam non concrescat, etiam sic duo lapides fiunt. Sed & collisis inter se. & agitatis aliquid separatur, & arenosum per urinam eijcitur. Quod etiam aliquando contingit, ubi arena ad uesicam descendit, & non coaluit.* Hæc Hippocrates. per quæ paucis vniuersam rem explicat. Cæterum duo sunt inditia, quæ certum de vesicæ calculo efficiunt iuditium; alterum est seringa, instrumentum canulatum, quod per

De aere et v q.uis.

4. de morbis.

virgam immittitur: ſic enim tactu cognoſcimus calculum, & eius magnitudinem. alterum vero per immiſſionem digitorum in anum, ſic digitus namque vnius manus oleo per vnctus per anum immittitur, & altera manu collum veſicæ apprehenditur, & ſic per impulſionem tactu deprehendi poteſt. Si quis item ſaliat, vel vehementer crura concutiat, ſolet grauitatem quandam ſentire in pectine, & ad partes, quę teſtibus, & ano interiacent. Solent etiam veſicæ calculi erectum ſeruare pudendum ob ſpiritus copiam, qui ad partem fluit. Hæc ſunt ſigna, quæ ab effectibus ſumuntur. Quæ vero à cauſis manant, eadem ſunt vbique: ideo illa prętermittimus. Atque hęc adduxiſſe pro natura calculi explicanda, ſatis ſit. Nunc ſecundum aggrediamur caput, quod prognoſticum continet.

DE PROGNOSTICO vniuerſali calculi. Cap. XX.



Llud primum ſe nobis quærendum offert, dum morbi euentum coniectamus, quem finem ſcilicet morbus habiturus ſit, ſecundo tempus, tertio modum, quarto authorē, quinto ſolutionis qualitatē, ſexto media, per quæ finitur. ſeptimo locum. octauo ordinē, ſi plura fuerint, quid primo, quidue ſecundo loco abſoluatur. Quòd igitur ad finem malorum attinet, ille à nobis multiplici ratione quæritur: primò ne Medicus affectiones curare aggrediatur, quæ ſanari non poſ ſunt; vel illas; quæ ex ſe ſine vlla Medici opera ſanantur. ſecundo vt fidem faciat Medicus ægroto, quod morbum cognoſcit. tertio vt culpa vacet; ſi quando futuram

mortem

mortem prædicens, aliquid molitur. Quarto, vt futura prædicens ex longiori tempore possit remedia parare opportuna. Finis morborum multiplex est; quidam enim necessario sunt mortales, qualis sunt phtisis, hydrops, & morbi acuti in grauida muliere; quales sunt vulnera vesicæ, cerebri, cordis, septi transuersi, tenuis intestini, ventriculi, iecoris magna. Alij sunt sanabiles suapte natura, vt ephemera, tertiana, quartana. Quidam dubij sunt: quòd scilicet aliquando ad mortem, aliquando ad vitam terminētur. quales dicit Hippocrates, esse peripneumoniam, phrenitidem, febrem ardentem, anginam nephritidem, pleuritidem disenteriam. Alij denique sunt morbi, qui suapte natura nec occidunt, nec sanantur, sed per vniuersam vitam homines comitantur. qualis est podagra, elephantiasis seu lepra, fistulæ. Rursus morbi sua natura sanabiles quidam adeo sunt leues, vt solius naturæ opera sanentur; alij vero qui præter id Medici etiam manum desiderant, vt luxationes, fracturæ, & omnes alij morbi, de quibus spem concipere potest Medicus insignem nacti magnitudinem. Cum igitur sit multiplex finis morborum, dicimus renum, & vesicæ calculum aliquando esse sanabilem, aliquando mortalē aliquādo dubiū statum habere, nonnūquā etiā hominē vsq; ad mortē comitari pro diuersitate causarū, quæ ipsum pariunt. Dicendū igitur primo de euentu morbi salutari, deinde mortali, postea de dubio, ac deniq; quo modo comitetur semper ipsum hominem. Quod itaque ad primū spectat, ita à principio exordiemur, dicentes salutares esse morbos illos, qui non ita distrahunt hominem à naturali statu, quin à natura vel arte superari possint. Atque cum talis sit affectio calculosa, qua(verbi gratia)nunc hic homo laborat, ideo sanitas speranda erit. Colligo autem naturam; ac Medicum morbum superaturos esse per signa desumpta à morbi essentia, à causis, effectibus, & similitudine:

Hippocrates 1. de morbis.

6. aph. 18.

dine:erit enim sanabilis morbus, si accessiones habeat leues, paruas, & longo interuallo infestantes, non acutas nec vehementes, aut continuas, si calculi parui, rotundi, lenes, molles, mobiles si caliditas non sit vehemens, nec per essentiam humores creet non crassos, neque lentos, si aluum obedientem habet; si cruditatibus minime scateat, parceque viuat, si iuuenis sit robustus, boni habitus, nec hȩreditariam habeat hanc affectionem, si adhibita remedia iuuant; si dolor parum infestet, vrina facile redatur, nullus in ea appareat sanguis lapillos, & arenulas cum facilitate pellat, vrina naturalis colore substantia, & contentis; si nullus vomitus, cibi fastidium, sitis, vigiliæ ad sunt; ac denique si alij, qui simili affectu similiter laborarunt, sanitatem adepti sunt. hæc omnia si in vnum conspirent, euentum morbi salutarem pronunciant. Tempus vero salutis dupliciter consideratur: quia vel consideramus calculi accessionem, vel causarum dispositionem. si consideramus calculi accessionem, non solet transcendere decimum quartum diem; quia natura à re prȩternaturam grauata, & stimulata robusta existente, lapidem aut integrum, aut arena dissolutum foras propellit. si vero causarum dispositionem consideramus, longius tempus desiderant, quo partes ad naturalem suũ statũ redeant attemperenturque. Quãuis hoc difficile sit; est.n. hic morbus suapte natura longus, & rebellis. de qui

3. aphoris. bus dicebat Hippocrates, *Alios solui 40. diebus, alios septem mensibus, alios septem annis alios ad decimum quartum. qui vero morbi, nec pueris, dum semen emittunt, nec fæminis, dum mẽstrua erumpunt, soluuntur, inueterascere consueuerunt.* Ad ætatem accedunt, victus, & loci mutatio, quæ rebelles morbos soluẽdi magnam vim habent. Quod de comitiali morbo dixerat idẽ Author. *Epilepsia namque laborantes pueri, tum ætatis, tum loci victusque mutatio liberat.* Soluetur autem morbus, si accessionem respicimus, confertim

per

per lapillorum expulſionem: ſi vero totam affectionem, paulatim: eritque ſolutio facilis, & perfecta. Media, quibus fit ſolutio, ſunt expulſo, aut in arenulas diſſoluto lapide. Author, aliquando Natura ſola eſſe poteſt; aliquando natura cum artis auſilio. locus, per quem ſoluetur morbus, eſt meatus vrinarius. Hæc de ſalutari euentu. Mortalis vero euentus eadem ratione per contraria colligi poteſt, ſumptis contrarijs ſignis: erit enim lætalis morbus, ſi acccesſiones frequentes.magnas, acutas, continuas, malignas habeat. Si lapides magni, ſpinoſi, duri inæquales, locis adhærentes, ſi corpus ſenile cachochimum, debile, pars affecta infirma proſtrata; calor vehemens, humores in corpore multi, craſſi, tenaces ſi aluum ſiccam habeat cruditatibus, & otio deditus, ac veneri; ſi nulla iuuant remedia, ſi dolores ad ſunt intolerabiles; fixi; vrinę magna difficultas; ſitis, cibi faſtidium vigiliæ, febris; ſi vrina impura eſt, multis & craſſis ſubſidentijs, aut pœnitus tenuis: ſi ſanguis in ea conſpicitur; ſi nullæ arenulæ, nulli lapilli, & cum magna difficultate excernuntur. Denique ſi ſigna habeat, quæ alijs mortem attulerunt, hæc omnia lethalem euentum pronunciat. De tempore autem, modo, Authore, à contrario, veluti ſupra diximus, colligi poteſt. Ideo de his non eſt neceſſarium, vt dicamus. Solet mors ſuccedere in acceſſione; quæ, cum in acutum morbum tranſeat, intra quartum aut ſeptimum diem hominẽ, doloribus confectum proſternit. hæc de euentu lethali. Dubius autẽ euentus, ſi ex prædictis ſignis partim bona partim mala ſimul adſint, coniectãdus eſt; veluti dicere licet, morbum per totã vitam, nõ tamen cum vitæ periculo duraturum. Si bonã temperiem nactus fuerit; rectaque virtus ratione vtatur, facileque acceſſiones ſuperet, lapillos cum facilitate expellat, ſed malum habet hæreditarium, aut inueteratum, aut in ſenectute ſit poſitus: namq. (vt inquit Hippocrates) renũ, & veſi-

cæ

6.aphor.6. cæ vitia in senibus difficulter curantur. Causa est assidua concoctio attractio, expulsio, vt ne vel horula vna in toto die quiescant. serosa quoque substantia, quæ acuitate irritat, anguste quoque viæ ad hæc membra sunt, & locus remotus ab ore. vnde Galenus, Pulmo, & renes (ait) à vētri-
2. ad Glauc. 2. culo longissime absunt; vesica vero licet per virgā medicamenta suscipere possit: id tamen cum multa difficultate fit, & minores vires habent, quam quæ per os sumuntur: quia calor est imbecillis, omnium autem membrorum cū vesica sit ab ore remotissima, & situ ac forma inepta ad recipiendum: substantia vero maxime sensibili, ac exangui & quę difficillime possit consolidari, & non consolidata mortem afferat, sequitur ex omnibus ijs, vt vesicæ morbi omnium pessimi existant. Si igitur hi morbi in omnibus difficulter sanantur, quanto magis in senibus; cum sint morbi illis proprij, ac peculiares.

DE PROGNOSTICO *particulari renalis calculi.* *Cap. XXI.*



Anifestum est calculum renalem, ex illis esse malis, quæ per tempora affligunt; inordinatasque habent accessiones: aliquando enim per septimanas, non numquam per mēses & annos infestare solet. Fit autem accessio, quoties natura promouetur ad expulsionem lapidis, seu ad renum cauitatē, seu ab illis ad vreteras. Si igitur duo insignia symptomata copulentur, magnus scilicet dolor, & vrinę retentio, nec lapis vllo remedio promoueatur perseuerantibus symptomatibus mors quartum diem non transcendet.

Quòd

Quòd si dolor magnus admodum non est, & locum mutat, vrina non difficile excernitur, si vires validæ, vie latæ, lapides parui; ęger excernere cum facilitate sit assuetus, arenulęque multæ subsidcant, sperandum est, hominem intra quartum diem lapidem expulsurum. Quoniã hic morbus suapte natura longus, accessionem sortitus quasi in morbum acutum transit. Solet autem expelli calculus renalis aut integer, aut in arenulas dissolutus. Quod vero pertinet ad vniuersam affectionẽ. dixit Hippocrates, se non vidisse sanatas renum affectiones vltra quinquagesimum annum. Faciliori tamen negotio soluuntur renum calculi, quàm vesicæ: tum quia minores: tum quia molliores. non solet autem calculus renum hominem infestare ante pubertatem, eodem authore. *6.epidem. Sect.7.* *In coacis.*

DE PROGNOSTICO *calculi vesicæ in particulari.* *Cap. XXII.*



Apis vesicę occidere nõ solet, nisi cum ad illam magnitudinẽ prouenit, qua & vrinam in totũ suprimat, & perpetuis doloribus, & vriginibus hominẽ affligat, aut vlcus, vel inflammationem efficiat: nam cum durissimus sit vesicę calculus, & magnus, fere medicamentis numqnam obedit; quamobrem sectionem postulat, quę periculosa admodum, & misera est operatio. de qua inferius dicemus. Putãt tamen Auicenna & Paulus vesicæ calculos, quo grandiores fuerint, eo minus esse periculosos; tum quod doloribus ęgri sint assueti: tum quòd indicatur, membrum non facile esse ad inflammationem suscipiendam. Vnde cum fit incisio,

facilius liberantur. Fieri tamen potest, vt vesicę lapis illius membranæ adhęreat impactus, & per plurimos annos hominem comitetur nulla insigni facta noxa. Cęterum vesicæ calculum post annum quadragesimum secundum non fieri ait Hippocrates, nisi prius existat; quasi ea ętate ob caloris defectum id raro contingat; vel quòd velit non fieri ea ætate calculum vesicę, nisi multo ante in ea extiterit calculosa dispositio, aut nisi prius à renibus originem ducat. Ijs igitur iam explicatis, quę ad naturam, nec non prognosticum calculorum pertinere videbantur, nunc ad actionem veniendum est; cuius gratia tot, tantaque à nobis dicta sunt. de qua in secunda parte huius voluminis iam sermonem instituamus.

In coacis.

FINIS.



RODERICI A FONSECA

DE CALCVLORVM REMEDIIS.

Liber Secundus.



Quæ consideranda sint à Medico antequam operetur. Cap. I.



VO Medico recte operanti se offerunt, alterum, vt proponat sibi scopos quosdam ad quos omnia dirigantur: alterum vero vt instrumentis vtatur, quibus singulos scopos assequi facile possit. scopi numero nouem sunt; primum etenim quod in mẽtem Medici venit, est an agendum sit. Constat enim in leuissimis morbis, quos natura ex se superare potest, frustra adhiberi Medicũ præsidium; sicut in illis, qui desperati sunt. Quod si ex illorum natura fuerint qui opem desiderent,

eos abigere tentabit Medicus. Cum igitur agendum proponitur, statim se offert, quid agendum sit: at si quæ agenda sunt, plura extiterint, tertius nascitur scopus, qui ordinē respicit. quartus scopus materiam medicam inuenit, qua medicus consequatur id, quod in secundo scopo agendum proponit, eamque deducit à quatuor rerum generibus, nempe ab ijs, quæ assumuntur, geruntur, nos ambiunt, excernuntur, & retinentur. quinto loco se offert remedij quantitas, inde qualitas, modus, locus, tempus, & occasio. Cæterum instrumenta, quæ adducit rationalis medicus ad hos scopos assequendos, sunt indicatio, obseruatio, & analogismus. indicatione vtitur potissimum, ad quam experientiam annectit, nec non similitudinem; ideo in hoc casu potissimum indicationibus vtemur, non neglectis reliquis duobus instrumentis, videndum quippe est, quid in vnoquoque indicet, quid contraindicet, quid coindicet, & quid correpugnet. Quod igitur ad primum scopum attinet, qui, an agendum sit, quærit, sic à nobis proponitur. Quoniam casus, de quo agimus, grauis est, nec solius naturæ opera vt plurimum tolli possit, nec perpetuo sit desperatus? ideo aliquid à medico agendum indicatur. Quid autem sit agendum, ex numero illorum, quę in calculosis reperiuntur, deducetur in hunc modum. In omni affectu, nedum in hoc, quem præ manibus habemus, duo necessario reperiuntur, vnum, quod est secundum naturam; quod sui conseruationem indicat; alterum pręter naturam quod sui ablationem. Quod igitur in calculosis secundum naturam est, sunt vires, quæ & conseruandæ, & restaurandæ sunt: Præter naturam tria in illis sunt, lapis eius causa, illius symptomata. Ideo contra hæc Medicus pugnare debet. Dum aduersus lapidem pugnat curare dicitur, dum vero aduersus illius symptomata mitigare; cum autem aduersus causas pręseruare.

Quin-

Quinque igitur sunt Medici operationes in calculosa affectione, curatio, mitigatio, præseruatio, conseruatio, & restauratio. Quorum tria multa sub se comprehendunt; de quibus dicendum est; ac primo quæ in curatione sint facienda. Cum igitur lapis sit aliquid preternatu ram, sui ablationem indicat. Aufertur autẽ vel integer, vel in arenas dissolutus, aut medici manu artractione, vel sectione adhibita. Quæ vero lapidem pellunt, ac dissoluunt. id præstare nõ possunt, nisi viæ sint adapertæ, & vacuæ; quæque facile cedant, & natura roborata. Ideo in curatione calculi vacuandum, & molliendũ, roborandum, pellendum, dissoluendum, traendum & secandum se offert. Cæterum mitigatio tot facienda pręcipit, quot sunt accidentia, quæ medici operam desiderant. Sunt vero hęc maxime dolor, vrinæ retentio, sanguinis fluxus, vigilię, alui, siccitas. Ideo vtendum ijs, quæ dolorem soluunt, vrinæ facilitatem inducunt, somnum conciliant, sanguinem restingunt, & aluum exonerant. Præseruatio tot facienda esse admonet, quot sunt causæ calculi: materia namque, quæ genita est, si multa fuerit, vacuationem postulat; quæ vero gignenda est coctionem, attenuationem, abstertionem, repurgationem efficiens caliditas sicca attemperationem, alui siccitas solutionem. Vacuandum igitur, coquendum, attenuandum, abstergendum, repurgandum, attemperandum, aluus cienda. conseruatio autem, & præseruatio plura sub se non continent. Atque hæc sunt, quibus absoluitur secundus scopus; quo quid faciendum sit per indicationem, inuenimus. Quoniam autem hæc plura sunt, ideo ordo est necessarius. Incipiendum autem est ab eo, quod magis vrget, vel quod causam obtinet, sine qua non. Quod si pariter omnia vrgeant, omnibus pariter insistendum: Aliquando enim, vt accessionis tempore, ad mitigationem tota cõuertitur mens medici, quod hæc

Curatio.

Mitigatio.

Præseruatio.

vrgea-

vrgentiſſima ſit, neglecta etiam morbi cauſa. Cum vero ſymptomatum acerbitas lenitur, tunc potiſſimum curationi intendit. Cum igitur magis vrgeat in hoc caſu id quod eſt præternaturam; ideo ab hoc auſpicandum eſt: ac primo de curatione agendum, ſecundo de mitigatione, tertio de virtutis conſeruatione, ac reſtauratione; vltimo vero loco de pręſeruatione. Hæc de tertio ſcopo. Quartus autem ſcopus, qui materiam auxiliorum quærit, veluti & cęteri alij, qui illius quantitatem, qualitatem, modum, locum, tempus, & occaſionem præſcribunt, in particulari quapiam actione exponentur. Cum vero remedia calculo proponimus, ita doctrinam inſtituimus, vt quæ communia ſint vtrique calculo, renum ſcilicet, & veſicæ (ſunt autem fere omnia) non ſolum explicemus: ſed ſi quę propria in illis reperiantur, adducamus. De curatione igitur agentes ab euacuatione incipiendum, ſine qua reliqua fieri non poſſunt. Vacuatio autem quędam eſt ſenſibilis, per quam aliquid excernitur, quod ſenſibus comprehendi poteſt, alia vero inſenſibilis, qualis ea eſt, quæ per inſenſibilem fit transpirationem. Vtraque ex ijs vel eſt vniuerſalis, quòd totum corpus euacuet; vel particularis, quòd partem aliquam. Quæ totum corpus euacuat aut ęqualiter id facit, & eſt ſanguinis miſſio, aut inæqualiter, & eſt purgatio. Dico igitur indicari in hoc morbo euacuationem ſenſibilem, tum illam, quę à toto fit; tum eam, quæ à parte. A toto ęqualiter ſanguinis miſſio euacuat, inæqualiter vero purgatio. Pars vero euacuanda, ſunt inteſtina, & ſtomacus: hę enim partes repletę dolorem augent, vias occludunt, & morbo robur adijciunt. In euacuatione igitur tria ſunt facienda. Venter ſubeuacuandus, ſanguis mittendus, & purgatio obeunda. Incipiendum autem eſt à particulari euacuatione: nam licet in alijs partibus vniuerſalis euacuatio præcedat particularem; id tamen

in ſtomacho, & inteſtinis verum non eſt, quę partes vacuę eſſe debent, vt exitus libere pateat. De alui igitur ſubductione agendum.

DE SVBEVACVATIONE inteſtinorum. Cap. II.



Ndicatur hoc remedium ab illa materia, quę in inferiori ventre continetur in ipſis inteſtinis, quæque replens, vias coarctat, & dolorem exacerbat; magna enim eſt connexio inteſtinorum: cum renibus, & veſica. Ea etiam ratione conuenit talis euacuatio, quòd naturę ad inferiora trahens, multoties etiam lapidem propellit. Materia medica pręcipue ex ijs, quę intra corpus aſſumuntur, ſuppeditatur, maxime per anum. Pręſtant nobis id tum clyſteria, tum ſuppoſitoria; de quibus dicendum eſt, ac primo de clyſteribus. horum cum quędam ſint lenia, alia mediocria, nonnulla etiam acuta, eo augenda eſt enematis vis, quo minus dolor vrget. Proinde cum maxime vrget acceſſio lenientia, & leuia enemata exquiruntur, quale eſt commune dictum, dolore non ita vrgente loco ſacchari, mel admiſceri poteſt, vel hieræ, ſemiunciam aut caſſię. Quòd ſi acutum efficere mauis (conuenit autem aliquando) vt lapidem ſecum trahat, prędicto communi enemati adiicere poteris hieralogodion vnc. 1. aut diaphiniconis tantundem. aſſumuntur autem clyſteria calida ante cibum per horam, & quocunque etiam tempore, neceſſitate vrgente. Modus eſt, vt paulatim immittantur, non per ſiringam (vt fieri ſolet) ſic enim flatus multam copiam aſſumunt; ſed eo potius inſtrumento,

quo

quo Hiſpani vtuntur, vtriculo ſcilicet, cui ligneus canaliculus eſt inſertus. Ea autem eſt clyſteris natura, vt nullus corporis habitus, nulla ętas, anni tempus ipſum renuat, præſertim ſi fuerit lenis. Quòd ſi temporis anguſtia citam alui ſubductionẽm requirat, aut æger clyſteres renuat, ad ſuppoſitoria tranſeundum; quæ & minus valida, & validiora fieri poſſunt. Leuia ſunt hæc ℞ ſaponis vnc. 1. fiat glans indicis digiti inſtar. aut ipſam ex bete, vel mercurialis radice efformato. valentior eſt hæc recipe mellis concreti vnc. 1. aut ſemis, ſalis drach. 5. Agarici ʒ 1. fiat glans. Si vero adhuc valentiorem efficere velis, addito euphorbium, aut colocynthidem, vel ſcamoneam. Quòd ſi æger nulla ratione admittere velit clyſteres, ad illa, quæ per os aſſumuntur (quæ & ipſa inteſtina vacuandi vim habent) veniendum. Inter cætera vero caſſia, manna, ſena, hiera ſimplex, & diacatolicon, palmam obtinent; ex quibus vnum aut alterum aſſumi poteſt ad prædictam intentionem. Ab ijs vero, quæ nos ambiunt, etiam remedia ſumi poſſunt ad inteſtina euacuanda; quales ſnnt vnctiones ventris ex vnguento Agrippæ, aut Artranitæ, ex oleo, in quo colocynthis fuerit macerata, ſeu ſcamonea, aut elaterium. His igitur præſidijs vtemur ad euacuanda inteſtina. Nunc ad ſtomachi euacuationem accedamus.

DE STO-

DE STOMACI SUBEVAuacuatione in calculosis.

Cap. III.



Ndicatur hæc euacuatio à materia in stomacho contenta, quæ præmendo renes grauat, vias occludit, dolorem auget: attingunt enim renes immediate ipsum ventriculum. Ideo dicebat Hiopocrates, renum dolorē grauem esset, eo maxime tempore, quo cibo implentur. Vacuatur autem stomachus commodissime per vomitum, præsertim in renum calculo, qui suapte natura vomitum excitat. ex quo leuiores fiunt. at quo natura vergit, eo ducere conuenit 1. aphoris. 21. per loca conferenria. Mouetur autem vomitus primo ab ijs, quæ agũtur sic digito aut penna in os immissis excitatur. ab ijs autem, quæ assumuntur, oleum tepidum ebibitum aut commune, aut amygdalarum, innocens est remedium, nec non aqua mulsa tepida cum oximellite. Maiora autem his vomentia in accessione non sunt adhibenda; extra tamen accessionem ad valentiora transeundum, vel non ita vrgente dolore; quale est hoc. Recipe florum attriplicis, aneti, an: man. 1. seminis raphani drach. 1. seminis apij drac. 5. radicis bettonicæ drac. 1. 5. hisopi manipulum semis, coquantur in iusta quantitate aquæ ad tertiam cuius colaturæ recipe vnc. 6. oximellitis simplicis vnc. 1. 5. miscæ, & tepidum bibat. Valentiora autem vomentia, quę per elleborum, ęlaterium, antimonium, agaricum, ricinum, aliaue huiusmodi fiunt potentia admodum medicamenta ad præseruationem, non cuicunque naturę sed iuuenibus exhibet Hippocrates.

6.epidem. Iuuenes (inquit) veratro purgare. quod si homo sit robustus, etiam si in ætate sit constitutus, & facile vomat, persuaderem. vt per interualla hæc assumeret medicamēta ad vomitum: nam preterquam quod vehemens vomitus rebelles omnes fere morbos sanare potest. commouet totam naturam, vnde etiam lapis pellitur. videmus enim antimonij vsu multos hydropicos, lienosos, maniacos, gallicos fuisse sanatos. Sed premeditationem requi-
4.aphoris. rit hæc operatio multam: nam qui ad veratrum non facile purgantur, eorum corpora ante potionem copiosiori cibo, & quiete humectanda sunt. Solet autem vomitus moueri maxime à cibo, facillime accessionis tempore: eo enim tempore sursum tendunt omnia, Hippocra-
7.epidem. te attestante in hunc modum. Subpurgandi sunt vētres, vbi purganda matura fuerint, inferne quidem, vbi consedisse videris, signum habes, si non anxij fuerint, nec capite grauati, & cum labores mitissimi, & cum post exacerbationem cessauerint. Superne vero in ipsis exacerbationibus: tunc enim eleuantur, cum anxij, & grauati, supernis partibus fuerint, ac se iactauerint. Cæterum vomitus vsus in his nostris temporibus aboleuit. Solebant autem antiqui eo quam maxime vti, saltem bis per mensem, quo se ab omni fere noxa tuebātur, perpetuoque sani degebant; assumebant autem omnis generis cibos, lac scilicet, carnem, pisces, oua, fructus, aliaque multa, diuersa iterum genera vinorum, & quo ad colores, & sapores; inde vomebant cum facilitate. Competit vero vomitus illis magis, qui renali calculo laborant. Solent autem omnia vomitoria adhiberi tepida, sic enim relaxandi ventriculum vim habent. Hæc de particulari calculorum euacuatione dicta sufficiant; modo ad vniuersales veniamus; & primo ad sanguinis missionem.

DE

DE PHLEBOTOMIA in calculo facienda. Cap. IIII.



Vacuatio, quæ venæ sectione fit, ab ea plenitudine indicatur, quę sanguinis in corpore, reperitur. Cum vero tempus morbi duplex sit, alterum extra accessionem, alterum vero in accessione conuenit sanguinis missio etiam extra ipsam accessionem, si multus abundet, aut crassus. In accessione vero, si illa fuerit vehementissima, numquam non facienda, dummodo vires valeant: nam (vt docet Hippocrates) morbo existente magno cum virium robore sanguinem mittere oportet, atque illum aliquando vsque etiam ad animi deliquium; maxima vero propria est, hæc euacuatio calculi renalis; nam quæcunque pars dolet, aut calet, & tenditur, ad se sanguinem allicit, & inflammationem concitat. Graui igitur existente malo, dummodo constet virtus, non pueros, non senes, sed neque greuidas mulieres excipies: hęc enim non sanguinis missionem sed illius multam quantitatem renuunt. Nam si quod auxilium vnquam sanitatem restituit, hoc ipsum fuit sanguinis missio. Quod vero attinet ad quantitatem euacuationis, illa non tanta esse debet, quanta plenitudo postulat. quia lapidem (vt ait Galenus) non plane statim eximere possumus; pręsertim cum magnus is est: vna enim cum sanguine spiritus excernitur, quo excreto totum corpus refrigeratur, & virtus languet; quæ vel sola, vel maxime morbum curat. Quòd si non admodum vrget malum, vel æger ætate sit confectus, non illam quę per venæ sectionem, sed quæ per crurum fit scarificationem, sanguinis missionem moliemur: hæc enim, atte-

Lib. acutorum.

ſtante Galeno, proxime accedit ad illam, quæ fit ex brachio, aut etiam per hirudines ano admotas, quæ euacuatio in renali calculo eſt conuenientiſſima: quoniam
6 apho.11 in ea naturam imitamur (vt ait Hippocrates) melancholicis, & nephriticis hemorrhoides ſuperuenietes bonum. „
Tempus mittendi ſanguinem, vbi neceſſitas vrget, omne eſt aptiſſimum; nam vrgente admodum malo, occaſio arripienda eſt, quæ volucris admodum eſt in medicina. Proinde nec cibus, nec cruditas aliqua in magno malo remedium hoc retardare debent. Sumitur igitur materia ad hoc auxilij genus ab ijs ſolum, quæ extra admouentur: quę ſecandi cutim vim habent, aut ora venarum aperiendi. Cæterum locus, qui ſecari debet vbi vena fuerit cruris eſſe debet, iuxta id, quod aſſerit Hippocra-
6.epidem. tes, Poplitem inquit ſecare. Cum autem duplex ſit vena poplitis, vna interna, altera vero externa: illam eligere oportet, quæ per interna repit, iuxta ſententiam eiuſdem
7.aphoriſ. 48. Authoris. Stranguriam & diſuriam torexis, & venæ ſectio ſoluit; ſecandæ autem ſunt interiores. „ In morbis
6.epidem. namque, quæ infra ſeptum tranſuerſum ſunt (ait Galenus) ſecandæ ſunt crurum venæ; veluti brachiorum, ſi partes ſupernę infeſtetur. Multi tamen Medicorum prius reuellendum à brachio, deinde deriuandum ad crura eſſe aiunt; præcipue copia ſanguinis abundante: nam niſi ita fiat, ſequi, inquiunt, vt ad locum affectum materia concitetur. Sed non concludunt: quia ſemper ab inferiori loco ſanguinem mittere oportet, per quem, non ſolum reuulſio, ſed etiam euacuatio ſit. Quemadmodũ enim vrgente lateris dolore, & ad clauiculam vergente, iubet
Lib. acutorum. Hippocrates, miſſionem ſanguinis ex eodem latere ob venarum communicantiam. idque quotidie fit cum magno, & citiſſimo languentium commodo. nec veretur tractionem ſanguinis ad locum affectum. Ita vigente calculi dolore à crurum venis ſanguis detrahi debet, ob magnam

gnam communicantiam, quam cum renibus, & vesica habent; sunt enim crurũ venæ soboles magnæ illius quæ per dorsum repens, emulgentes efformat. Cæterum poplitis vena ob secantium imperitiam si tundi non possit, ad illam, quæ in talo est, ex parte interna te conferas. Quòd si æger non ita validus sit, nec ita vrgeat accessio, venæ sectionem dimittes, & purgatione contentus eris. de qua iam iam sermonem instituo.

DE PURGATIONE in calculo facienda. Cap. V.



SI post sanguinis missionem adhuc humores in corpore multi maneant, vel si ob aliquam vrgentem necessitatem sanguinis missio fieri nequit, vel quod accessio non multum infestet, purgatione contenti erimus. est autem purgatio euacuatio, quæ sensibiliter, & inæqualiter corpus exhaurit. Si autem vtrumque remedium faciendum est, à sanguinis missione auspicandum: nam post illam purgans medicamentum venas, & arterias inanes, insuperque corporis regiones inuenit; Quo fit, vt absque vllo impedimento in totum corpus penetret ad attrahendum succos, facillimeque fiat humorum euacuatio per vasorum spatia,& fusionem, tenuitatemque succorum. Nam si dum vasa plena sunt sanguine, medicamentum dederis, non poterit ob plenitudinem in corpus deferri; vnde fit, vt sistatur, & nihil efficiat. Purgantur autem calculosi tum per os, vomitum, tum per aluum. De illa quæ vomitu fit, abunde dictum est superius. Cæterum humores euacuandi

erunt

erunt pro eorum redundantia, sic vt qualia oportet, pur-
1. de morbis. gentur. Quantitas autem describi certa non potest, quia »
differt natura à natura, & corpus à corpore, & tempus à »
tempore, & affectio ab affectione, vt ait Hippocrates. »
Illud tamen animaduertendum, quòd accessionis tempore valida medicamenta sumere non oportet, quòd ęger laboribus fractus, ea ferre nequaquã poterit. Ideo ad bilem purgandam non transcendes eo tempore cassiã, mannam, aloem, syrupum rosaceum, rabarbarum, electarium deaprunis, de psillio, de succo rosarum, & diaphiniconem. Ad pituitam vero mecoacam, agaricum, diaphiniconem vel indum electarium. Sicuti ad atram bilem senam, polipodium, epitimum, fumum terræ, hamec, & diasenam. ex ijs leuiora assumenda quo dolores urgentiores fuerint, valentiora, quo minores. extra accessiones, ad valida medicamenta transire poteris, colocynthidem scilicet, scamoneam, elleborũ, euphorbium, hieras illas Hermetis, & Archigenis. Quantitas autem vt dixi, non describitur à me, quia id effici non potest exacte: nam experientia huius rei magistra est. Totum vero, quod in hoc negotio quantitatis medicamenti, dici potest, per hęc verba magnus Hippocrates protulit:
1. aph. 23. Quæ euacuantur mulritudine metienda non sunt, sed si »
quæ oportet, vacuentur, & facile ferant. Atque vbi ad »
animi deliquium educere conuenit, vacuandum, si ęgro- »
tus par esse possit. Solet autem fieri purgatio non nisi cõ-
1. aphoris. 22. cocta materia; nam concocta, maturaque mouere opor- »
tet, non cruda nec per initia, nisi suopte cieantur impe- »
tu. At in accessione calculi, veluti in magnis maximisque doloribus fere turget materia semper. Ideo quamprimum vacuandum.
4. aph. 10. iuxta illud Hippocratis, purgandũ »
in valde acutis, si ad sui excretionem materia inuitet eo- »
dem ipso die, differre enim in talibus malum: Nam licet »
ante purgationem fluxilia corpora facere oporteat, id de

materia intelligitur, quę quieta est, non de ea, quæ mouetur, & turget. Sumitur autẽ purgationis materia maxime ab ijs, quæ intus sumuntur per os, qualia sunt prę-nominata medicamenta. Sumenda vero sunt omnia in forma liquida in aliquo liquore dissoluta, seu in substantia, seu infusa adhibere velis: Quoniam calculosi corpus siccum est. Est autem liquor accõmodatus lactis serum, vinum album tenue, decoctum florum, & fructuum, aut magistrale dictum. His igitur euacuatis per hunc modũ (quod primum in curatione erat faciendum) nunc ad secundum veniamus, quo vias emolliendas esse diximus, qno facile pellatur lapis partibus cedentibus.

DE EMOLLIENTIBVS. Cap. VI.



Axantia, & emollientia, quę ideo calculorum affectibus necessaria esse diximus, quòd vias relaxent, dilatentque, & doloris vehementiam mitigent, modice calida sunt, cum partium tenuitate. Sumiturque ad hanc intẽtionem materia, tum ab ijs, quę intra corpus sumuntur, tum ab ijs, quę ambiunt. Sunt igitur in primis olea, anethinum, amigdalinum, camomælinum, sesaminumue, qnorum vnc. 6. calidę per os sumi poterunt. Adsunt & iura pinguia assumpta in hanc intentionem, vel vti resina, terebintina elota ad vnc. 1. cum sacharo, quę pręterquam quod emolliendi vim habent, renes mirabiliter expurgant. Poterunt & eadem olea pura clysteribus per inferiora assumi ad libram, calida; quę magno adiumento esse solent; quia diu multumque in intestinis retinentur. Veluti quæ

e iure

e iure pinguis capitis castrati fiunt enemata. possunt & prędicta olea per siringam ad vesicam transmitti; quo latę, & molles fiant partes illę, dolorque leniatur. Ab extrinseco autem inter mollientia,& laxantia, doloremque soluentia, balneum, seu puri olei,seu dulcis aquę, in qua bulliant altea, malua, parietaria, camomilla, melilotū anetum, bettonica, origanum calamentum, abrotanum; altęæ radices, semina lini, fœnugræci, finiculi anisi. Debet autem sedere in aqua vsque ad mammas. Vel ex eodem fomenta parari poterunt per spongiam, vel vesicam bouinam, quæ accommodatissima est, prædicto decocto referta cum oleis camomelino, anetino, aut sesamino. Debet autem tegi fomentum ipsum, quo magis duret, & melius pars foueatur. A balneo & fomentis ad vnctiones veniendum, quę ex prædictis oleis calidis fieri poterunt. nec non ex adipe anseris, caponis, aut anatis, veluti ex butiro. adsunt & emplastra, quorum vsus in calidis affectibus minus probatur. Cum vero hęc emollientia virtutē prosternant, ideo non perpetuo illis vtendum, sed per iuterualla: interim tamen natura roboranda, quo contra morbum insurgat. De roborantibus igitur nunc dicendum.

DE ROBORANTIBVS. Cap. VII.



Oboratur natura, tum ijs, quę temperiem corpori afferunt, tum ijs etiam, quę calidum innatum augent. Quod potissimum nutrimentum præstat. exhibendum igitur tale est, quale ab ipsa facile confici possit, quodque ei quam familiare sit,

iuxta

iuxta illud Hippocratis, paulo peior, seu suauior cibus, & potus, meliori quidem, sed ingrato prȩferendus. de qua re abunde postea dicemus. calidum igitur innatum augent, paucus cibus, quies, somnus, vnctiones, frictiones, clysteres, mens hilaris. atque non modo vniuersam naturam roborare oportet, sed partes affectas, vt renes, & vesicam. renes igitur roborant absinthium, plantago, parietaria, semina quatuor frigida cucumeris, cucurbitȩ, melonis, citroli, spica nardi, rosa, crocus, radices apij, absintij, asparagi, aristolochia, lilium, terebintina, quȩ tum extra, tum intra assumi poterunt. Quæ & eadem vesicȩ roborandæ sunt accommodata, & emollientibus miscenda sunt. Hęc de roborantibus, Nunc ad illa, quæ lapidem pellunt transeundum.

2. aphoris. 28.

DE IIS QVAE LAPIDES è corpore pellunt. Cap. VIII.



Orpore euacuatio, vijsque rarefactis, & emollitis ad ea accedendum, quȩ ciendi vrinas vim habent, & lapides abradendi. Quorum materia potissimum ab ijs, quæ per os sumuntur, dependet. Cæterum quæ vrinas cient multipliciter id efficere possunt: quædam enim vrinam mouent, quòd plurimam aquosam materiam corpori suppeditēt, quam cum renes trahunt, simul etiam educunt humores in venis contentos, qui cum ea miscentur. hoc pacto vina alba, & aquosa dicuntur per vrinas corpus expurgare; ac proinde illa calculosis sunt apta. alia vero sunt, quȩ idē præstant abstergendo quæ in renibus, atque etiam in vasis continentur. Quod facit terebintina; alia vero sunt,

quæ tum abstergendi facultate, tum quod plurimam materiam suppeditent, corpus per vrinas expurgant. Id quod faciunt aquæ sponte nascentes, nitrosæ, & salsæ, id efficiunt, eo quod alliciant humores noxios familiaritate substantię, & eos ducant per vrinæ vias. qua ratione reubarbarum, cassia, bilem expurgant per vrinas: alia vero dicuntur vrinam prouocare; quòd pituitosos humores in venis contentos fundant, extenuēt atque in aquosum humorem degenerare faciant. Quod efficiunt omnia insigni caliditate prędita. de quibus solum videtur tradere pręcepta Galenus, quæ in hac affectione minime conueniunt: sanguinem enim nimis adurunt, ac crassum reddunt; quia caloris vehementia (referente Galeno) humorem separant à sanguine. At si quando ijs vti velis, raro, & per interualla fiat, oportet. ex tertio autem genere vrinas pellentium præstātissimum est medicamentū desumptum ex aquis sponte nascentibus; qualis est porretana, Villæ, Tetuccij, quę & probatissima est: hęc enim non solum lapillos abradit, & secum trahit, sed etiam pituitosos humores è ventriculo, & intestinis abstergit: atque vtrique malo, quo laborare solent colici, & Nephritici, succurrit. bibitur autem hęc aqua omni tempore anni, cum vrget necessitas, calida, quantum fieri potest, mane ieiuno stomacho ad libras quatuor plus minusue. Continuata potione per spatium vnius horę nam spatio quatuor dierum calculum exire facit; maxime si in renibus extiterit, ac in illorum cauitatibus: quia ille, qui in substantia illorum continetur, non nisi naturæ vi educi potest. Est & in balneo Pisano ad radicem montis aqua probatissima, & experta, quę facile tota per vias vrinæ transit, quæ (vt puto) ad calculum superat etiam aquam Tetuccij. Sunt autem quidam homines, qui has aquas cum difficultate reddunt, quibus nocumentum nō paruum inferunt. Proinde si quis nouus sit in illarum assum-

ſumptione, corpore prius expurgato, miſcenda ſunt, quę tranſitum adiuuent, vt oximel, aut mel roſaceum. itemque prima die paucam aſſumant quantitatem, quę ſi facile reddatur, pergant; ſi vero in ea reddenda multa ſit difficultas, abſtineant. Ab ijs item quæ per os ſumuntur, aqua frgida, ſi calidum ſit ægri corpus, ſitiſque vehementer infeſtet, & calidæ aſſuetus, ſi aceruatim ægro bibenda exhibeatur calculo renali laboranti, ſolet, renibus roboratis, ipſum foras pellere. Quæ non eſt exhibenda temere, & in corporibus pletoricis ac excrementoſis, tum vbi viſcus aliquod debile affectum eſt. Adeſt & lignum dictum renale (referente Manardo) ex India delatum cuius ſciſſuræ in aqua per horam infunduntur, qua bibita aqua vel per ſe, vel cum vino, mirabiliter vrinas ciendi vim habere, dicit. Nec non & aqua ligni, quod ſaxafras nominat. Ab ijs vero, quæ nos ambiunt, parari poſſunt & balnea, & vnctiones, vrinas cientia. Refert autē Manardus, lapidem quendam afferri ex India, quem vocant della hijada qui exterius applicitus, dolores ſedat ſchiadicos, & nephriticos, nec non vrinas pellit, atque arenulas, quē multi cum iuuamento ſe experiri aiunt. Ab ijs vero, quæ à nobis aguntur pellendi lapides vim habent motus, qui per aſcenſum, & deſcenſum ſcalarum fit; nec non equitationes, vectioneſque; ſed moderatæ, ne renes inflammentur. At poſteaquam de ijs, quę vrinam cient, mentionem fecimus, bena ſe habebit hic ex Dioſcoride afferre, quæ id efficiunt, è quibus, quæ tepidiora ſunt, ſemper ſunt eligenda.

Catalogus vrinam cientium medicamentorum ex Dioſcoride.

ACori decoctum potum. Mei radices ex aqua decoctæ vel tritæ citra coctionem potæ.

Nardus { Indica / Celtica / montana } potui data.

Cardamomum ex vino hauſtum.
Aſarum bibitum
Phu ſicca pota
Malabatrum potum
Caſſia in potu hauſta
Gynamomum potum
Coſtus ebibitus
Iuncus odoratus in potu
Calamus odoratus cum granis & apij ſeminibus ſumptus.
Helenij radicum decoctum potui datum.
Crocogma potum.
Pinæ nuces purgatæ, comeſæ aut cum paſſo vel cucumeris ſemine potæ.
Lentiſci decoctum hauſtum.
Terebinti fructus comeſtus.
Reſina omnis pręſertim terebintina hauſta.
Cupreſſi folia ex paſſo, & exiguo mirrę pota.
Cedrides deuoratæ.
Lauri foliorum decoctum in diſſeſſionibus albæ populi cortex pondere hauſtus.
Poliuri foliorum, & radicum decoctum in potu ſumptũ.
Phillereæ folia pota.
Ladanum ex veteri vino hauſtum.

Olcæ Aetiopicæ ac nostratis lacrima potui data.
Glandes in potu sumptæ.
Palmę inuolacri decoctum bibitum.
Punicę acidę succus potus.
Cerasi gummi haustum.
Amygdalæ amaræ lacrima bibita.
Erinaceus marinus in cibum sumptus.
Erinacei terrestris caro inueterata in aceto mulso pota.
Vermes terreni & cum passo poti.
Mel haustum.
Ptisana hordeacea deuorata.
Zythum ex hordeo paratum potum.
Cicerum decoctum bibitum.
Erui decoctum haustum.
Lupinorum radicum decoctum bibitum.
Raporum cauliculus elixus in cibum.
Raphanus comestus, & eius semen potum.
Siseriæ radix in cibum accepta.
Asparagi breui coctura elixi, & in cibum propinati.
Sion quoquo modo sumptum.
Cucumeris semen potum.
Erucæ vtriusque semen bibitum.
Dracunculus minor haustus.
Hortensis smilacis siliquæ cum semine elixæ.
Asphodeli radix pota.
Bulbi vomitorij decoctum potum.
Porrum domesticum, & siluestre comestum.
Cæpa decocta in cibum sumpta.
Allium in cibum sumptum.
Caparis succus quadraginta diebus potus.
Anagalidis succus bibitus.
Calamintæ decoctum potum.
Saluiæ decoctum haustum.
Crocodili semen bibitum.

Thymi

Thymi decoctum potui datum.
Thymbræ decoctum bibitum.
Serpillum in potu sumptum.
Ruta quoquomodo modo sumpta.
Spinæ albæ radix pota.
Acanti radices potæ.
Ononis radicis cortex ex vino hausta.
Eringij radix pota.
Absintium potui datum.
Hisopi decoctum in potu sumptum.
Origanum haustum.
Tregorigani decoctum bibitum.
Ruta siluestris pubi illita.
Ligustrici semen, & radix pota.
Pastinacæ erraticæ semen haustum.
Cari semen potum.
Aethi comæ, & seminis decoctum bibitum.
Apium crudum coctumue in cibo snmptum.
Petrosellinum in potu haustum.
Fœniculi decoctum potum.
Nigella pluribus diebus bibita.
Polij montani decoctum potui datum.
Artemisiæ decoctum in sessionibus adhibitum.
Anthemidis decoctum haustum, vel dissessionibus additum.
Lithospermi semen ex vino albo sumptum.
Rubiæ radix pota.
Conchitis radix ex vino sumpta.
Hippericon bibitum.
Bettonicę folia pota.
Periclemini semen haustum.
Saxifragia potui data.
Xiridis radix trium obolorum pondere bibita, sed seminis vis longe maior.

Iunci

Iunci marini ſemen frixum, ageratum ſuffitum.
Veſicariæ rubentes acini folliculis incluſi deuorati.
Solani ſomnifici ſemen potum.
Spartij ſemen deuoratum.
Vitis albæ cauliculi teneri decocti, & deuorati.
Cytiſi decoctum potum.
Dauci ſemen hauſtum.
Coris ſemen in potu ſumptum.
Aequiſeti ſuccus potus.
Vmbelici veneris folia cum radicibus manducata.
Aſtragalli radix ex vino ſumpta.
Hiacinti radix bibita.
Vitis nigræ viticulæ primæ, coctæ, comeſtæ.
Lainæ daphnes ſoliorum ſuccus ex vino ſumptus.

Vinum	cydonites hyſſopites ſcillinum abſintites	potum.

Aqua mulſa in potu data.

Hæc ex Dioſcoride, vrinam ciendo, lapidem pellere ſunt apta, nunc ad ea, quæ frangunt, & diſſoluunt, tranſeundum.

DE IIS, QVAE LAPIDEM frangunt, ac dissoluunt. Cap. VIII.



On defuere, qui negauerint lapides renum, & vesicæ posse vlla ratione dissolui, sed his contraria est antiquorum authoritas, nec non experientia. Verum equidem est, vesicę calculos magna cum difficultate solui posse, at renales, vt pote, molliores, minoresque, atque calidiori loco contenti facile & à natura, & medicamentorum ope dissoluuntur. Adscribemus igitur in primis remedia ab ijs sumpta, quæ deuorantur Medicorum experientia comprobata; quorum quædam à propria substantia; nonnulla vero partium tenuitate lapides atterunt, abraduntque impactos. Sunt autem hæc medicamenta non semel, aut bis, sed pluries assumenda: sic enim pręstabunt, quod promittunt. Interim autem dum exhibentur, renes, & vesica fouendi sunt. balneis, fomentis vnctionibus, quo faciliori negotio operentur. nec non liquore aliquo tenium partium, quale est vinum album vinosum, propinanda sunt. Hoc enim vinũ (ait Hippocrates) ad veficam » magis penetrat, quàm alterum, & cum vrinam moueat, » maxime in ijs morbis proderit. Si quis vero experiri ve- » lit remedium lapides frangens, illos in vinum infundat, in quo dissolutum fuerit medicamentum. Si enim dissoluantur, sperandum est, id quoque in corpore euenturum. Subijciamus igitur Medicorum experimenta.

Lib. acutorum.

Hippo-

Hippocratis experimentum ex lib. de natura muliebri.

„ SI virgo lapide laborauerit (inquit ille) ſemen radicis
„ Aethiopicæ in vinum ad decem dies dato, & bis in
„ die multa calida lauato. Hæc ille. Sed quæ nam ſit hæc radix non valde conſtat. Caluus laſeris radicem vertit. Expertum tamen habeo vinum, in quo per noctē raphani radices fuerint maceratæ, matutino tempore per aliquot dies exhibitum, lapidem diſſoluere.

Aetij experimentum ex ſermone 3. cap. 11.

„ PRius (inquit) quam ad alia progrediar, vnius ſimpli-
„ cis pharmaci mentionem faciam, quod perfectam af-
„ fectionis deſtructionem promittit, & quodãmodo ad ea,
„ quæ ex proprietate totius ſubſtantiæ operationem faciũt,
„ accedere videtur. leporis pellem in ollulam conijce, & in
„ furnum demitte, atque, vbi vſta fuerit, vt probe conteri
„ poſſit, acceptam tere; & ex ipſa cochlearium ieiunijs in
„ ſolio calidæ aquæ prębe. Si vero velis experimentum
„ pharmaci accipere, ex eo in vinum conijce, & in vinum
„ item lapidem in flumine acceptum inijce, & contectum
„ per paucas horas ſine, & in gummos lapis diſſoluetur. Hæc ille.

Secundum eiuſdem expertum.

„ SAnguis hircinus ad nephriticos tum ad calculoſos pręs-
„ ſens eſt remedium: nam & pręexiſtentes lapides ſol-

uit, atque ita per lotium excerni illos facit, vt etiam alij amplius non gignantur. præterea & dolorem sedat. cum vua igitur maturescere cœpit, ollam nouam excipito, & infusa in ipsam aqua, donec terreum deposuerit, coquito atque accepto è grege hirco ætate matura plus minus quatuor annorum, eum mactato, eiusque sanguinē medium olla excipito; ita vt qui primum effluxit, itemque postremum, penitus relinquas. Medium autem inspissari finito, & in olla situm, per acutam arundinem in multa frustra dissecato, indeque reticulo denso, aut linteolo raro, aut cribro arctiori contectum sub dio exponito, vt insoletur, ne roscidus fiat; cauendo, ne imbre comadescat. Porrò vbi exsiccatus fuerit, eum diligenter terito, & in pixide obseruato, ac remittente malo. coclearium plenum cum passo cretico exhibeto. Cognominatur autem pharmacum hoc, teuchir, hoc est manus Dei. Huius & nos (inquit Philagrius) in breui tempore non aspernandum periculum fecimus. Aliquando autem odoris commendandi gratia, parum folij, aut amomi, aut similium admiscemus. ego hoc pharmacū cum troglodit*i*de passerculo permixtum cuidam penitus nihil lotij eijcienti post magnos dolores exhibui, & permagnum lapidem extritum ab eo expuli. cui attestatur Alexander Trallianus, qui ex sanguine hircino, cum mirrha zenzibere, & mirto calculum pręgrandem se fregisse ait.

Tertium Aetij expertum.

EST autem troglodites passerculus appellatus, iuxta sepes, & muros victum quęritans, estque hoc animalculum omnium auicularum minimum, ea excepta, quę regulus appellatur, in multis pręterquam quod in auri-

auricolores pinnas non habet. eſt etiam hic paſſerculus regulo paulo maior, caudam ſemper ſubrectam, & albo colore interpunctam habet. magis item garrulus, quam regulus habet iuxta ſummum alæ lineamentum cinerei coloris. breues item volatus facit; naturalem autem vim omnino admiratione dignam habet, ita quòd ſale conditus crudus cibo exceptus, morbum perfecte ſanat, & noui quoſdam ob illius vſum numquam amplius ab affectione vexatos. exhibetur & cinis paſſerculi combuſti per ſe, aut modico pipere admixto. licet & melle coctum exceptum in promptu habere proderit, & aſſatos edere integros.

Quartum Aetij expertum.

ALliorum vnguiculos, ſiue nucleos ſeptem, piperis grana nouem contere ſimul quam tenuiſſime, & cum vino albo veteri adſtringente pro vna vice in balneo bibendum præbe, vbi ad calidum eius locum fuerit ingreſſus, à dolore quidem hoc ęgrum liberat; aliquando autem & poſt vnicam potionem exigit.

Quintum eiuſdem expertum.

ALiud, quod calidioribus præcipue conuenit, ex portulaca ſuccum exprimito, cumque exſiccatũ in catapotia redigito & vnam exhibeto. ad miraculum vſque lapidem per vrinam pellit; vel cucurbitam aridam exure, & cineris cochlearium vnum, vt velis, bibendum præbe; aut catapotia eius efformato, & exhibeto, celerrime per lotium calculum extrudet. Si vero mitridati cõ-

positione abundes, eam quæ scincos admixtos habet, & cum phu decocto præbeas. lapidem educit, & est expertũ.

Sextum eiusdem expertum.

ANdromachi antidotus ad calculos, quę paulatim cõfringit, & extrudit lapides, donec vesicam expurget, & perlucidum lotium procedat; & quod maximum est, ita persanat, vt ne imposterum gignantur. habet autem hoc modo. seminis dauci, anisi, cucumeris decorticati, apij, petrosellini, mirrhę, cuiusque sexquidrachmam. cassiæ, cinamomi, nardi, celticæ, drachmam vnã, trita aqua subigito, & ad paruorum lupinorum formam redigito. Ieiunis autem quotidie per dies triginta cum aquæ ciatis tribus exhibeto.

Septimum eiusdem expertum, optimumque remedium.

ARchigenis. spicæ nardi, seminis apij, dauci, cuiusque drachmas quatuor, aluminis scissi drachmam vnam, cinamomi, cassiæ floris iunci odorati, cuiusque drachmam vnam, croci obolos tres, mirrhæ tantundem trita cum vino exacte subige, & cum vino mulso obolum vnum præbe, præclarum (ait) huius pharmaci experimentum feci; neque præstantius aliud reperias, neque ad huiusmodi affectionem destruendam, neque ad lapidis coactionem prohibendam, neque ad iam compacti attritionem, neque ad eductionem, & repurgationem limosę in vrinis fecis, coadiuuante præsertim dieta; quæ potissima pręseruatiuæ facultatis pars est existimanda.

Octauum eiusdem experimentum.

ARchiginis hoc est celebre, & clarum, qua antidoto vtebantur Philonius, & Iustinus. ℞ spicæ nardi drachmas decem, croci drachmas octo, mirræ drachmas quinque, castorij drachmas quatuor, floris iunci odorati, cinamomi ana drachmas quatuor, costi drachmas 2. scordi, pollij, cuiusque drachmas tres, asari drachmam vnam, & obolos quatuor, mei drachmam vnam, piperis albi longi, dauci, petrosellini, opobalsami, rosarum siccarum ana drachmam vnam, carpobalsami obolos quatuor, excipe melle despumato, & fabæ magnitudine cum vini mulsi diluti ciatis duobus, aut in aqua calida bibendum præbe.

Nonum eiusdem.

PHarmacum lapidem in renibus atterens, ita vt vna die commoditatem suam ostendat. ℞ abrotani drac. 3. croci drac. 8. herbæ antillidis drac. 16. foliorum rutæ viridium drac. 32. probe contrita in pastillos digerito, & ex illis drac. 1. cum aceto mulso præbeto. Vtere ipso assidue: mirum enim quantam vtilitatem præstet.

Auicennæ expertum.

MEdicamen forte, quod experti sumus. ℞ cineris vitri, cineris scorpionum, cineris radicum caulium, cineris leporum combustorum lapidis, spongiæ, sanguinis hirci exsiccati, contriti, cineris corticum oui, de quo pullus egressus est, lapidis iudaici, gummi nucis, acori

partes

partes æquales, petrosellini, dauci, pulegij, gummi arabici, seminis alteæ piperis, omnium partem vnam, & semis cum melle conficiantur; cuius dosis sit vsque ad aureos duos, vt supra cum aqua tribuli decocti, & hoc etiã conueniens est ei, qui in vesica est extrahens ipsum similem luto albo.

Secundum eiusdem expertum.

MEdicamentum vltimum sedans dolorem, extrahens lapidem ℞ apij campestris vnc. 1. ciperi Aegyptiacæ, spicæ aromaticæ, seminis papaueris albi, seminis acori ana vnc. 1. & semis, lapidis iudaici, macedonici ana vnc. semis, conficiatur cum melle, de quo sumatur magnitudine nucis cum vino.

Tertium eiusdem ab ijs, quæ extra adhibentur.

ET Ruffus quidem dixit, quòd plurima balneatio in „
thermis sulfureis frangit lapidem. Et hoc fortasse fa „
cit peruenire ad hoc, quòd quædam aquæ calidæ, quę „
quandoque vlcerant cutem, quando ponantur in eis me- „
dicinæ lapidis, & submergitur in eis pannus, & ponitur „
supra locum lapidis. resoluit ipsum. & ego iam expertus „
sum res huius generis. hęc Auicenna. in cuius confirma- „
tionem aiunt balneum esse in terra laboris dicta in Neapolitana regione, quod mirabiliter calculos frangit per ingressum.

Galeni remedium ex decimo de compositione secundum loca.

» MEdicamentum calculos frangens, ita vt non rena-
» ſcantur ℞ caſſiæ, piperis albi, ſeminis paſtinacæ,
» aniſi, ſeminis papaueris, ſpicæ nardi ana drac. 2. ſemi-
» nis apij, turis, ſtoracis, iridis, illiricæ. amygdalarum
» amararum, aſari ana drac. 3. mirræ mineæ drac. 4. mellis
» attici, quòd ſatis eſt. conficito, & quotidie exhibeto nu-
» cis ponticis magnitudine, ex aquæ ciatis tribus.

Raſis experimentum ex libro ad Almanſorem cap. de calculo.

LApidi vero, qui eſt in veſica confectio hęc vtilis exiſtit, & eſt optima ad frangendum lapidem, etiam cũ fuerit vetuſtus. Ego quoque iam fregi cum ea lapidem magnum in minori ſpatio quadraginta dierum. ℞ carpobalſami, ſeminis raphani, dauci, çorticum, radicis opponacis, amigdalarum amararum, ſaxifragiæ, ſchinanthi, ciperi, ſpicæ indæ, caſſiæ ligneæ, ſcolopendriæ, gentianæ, ariſtolochiæ. carui agreſtis, ammoniaci, ſagapeni, bdelij, piperis, acori, omnium partes æquales. gummi in oleo balſamo malaxentur, & ex eis alię ſpecies conficiantur, ex quibus informentur pillulæ, & ſumatur ex eis in die drach. 1. cum apozemate de ſeminibus. & quandoque ſeptima pars 1. drachmę cineris ſcorpionum eis addatur. Cinis vero de ſcorpionibus hoc modo fit: mittantur in ollam nouam, quę bene oppilata tegatur, & ponatur in furno ſuper laterem, in quo ſit mediocris

calor.

calor. inde tracti à furno, pulverizentur, & reponantur in vase vitreo. cȩterum apozema de seminibus fit ad hūc modum. recipe seminis ameos liuistici carui apij, omnium partes æquales, coque in aqua ad consumptionem mediæ partis.

Puluis iunioris cuiusdam expertus, quem ad miraculum laudat.

AIt igitur, si vero processerint arenæ, aut etiam cum dolore in vrina apparuerint puluerem hunc propinabis, quo omnes qui fere prȩ dolore mori videbantur, liberati fuere: nam extrudit calculum à renibus, nullum inferens nocumentum; quem etiam prȩgnantibus exhibui, & in Dei nomine liberatæ sunt; eumque pro secreto hucusque seruaui. Nunc autem placet mihi pro hominum vtilitate manifestare. puluis autem sic habet. ℞ seminis petrosellini, radicis eiusdem ab anima mundatæ ana drac. 4. floris cardi, quem stellatum appellant, à spinis stellatis drach. 8. quæ tantum separata in furno lento desiccentur donec eadem videas posse triturari; deinde ab igne auferes, & vnaquæque separatim triturabis. quibus trituratis vnus fiat puluis, de quo capias duos scropulos in vino albo.

Cardani expertum ex libro de tuenda sanitate cap. 31.

ALiud a me expertum, quo confregimus lapidē magnum, nec auelanȩ minorem in Bernardo Gēmario,

primum

primum miſimus ſanguinem ſemel à cubito, inde à talo: aderat enim ſebris, & plenitudo; inde cum hiera, & caſſia nigra eum purgauimus, ſæpius iam adhibitis ænematibus. ſecunda die exhibui hoc medicamentum. ℞ ſuccum duorum limuniorum ter colatorum, oximelitis. ſcilitici vnc. 1. vinaceolæ vnc. 2. radicum cardi fulonum, aut vulgaris in clibano ſiccatarum, & in puluerem redactarum drach. 2. miſce, & calidum propina.

Secundum eiuſdem ex 4. Aphorimorum 79.

CVm duo renum doloribus aliquandiu excruciati eſſent, alter erat ſacerdos, alter autem mercator. Sacerdori vinum gramineum exhibui, ac tertio poſt die lapillum oſſi dactili ſimilem, ſed breuiorem eiecit (fit vero gramineum vinum in hunc modum, graminis radices contuſas in vino albo potenti infunde per noctem & inde mane excolato, & calidum exhibe). Mercatori Alexandri medicamentum quod ex ſanguine hircino, & mirra conſtat, & calculum poſt quindecim dies eiecit.

Fauentini experimentum ex practica cap. 44.

AD lapidem exterminandum expertum & ſi patienti dabis infraſcriptum potum non tranſibunt ſex horæ, quòd proijciet calculum ℞ corticum radicum raphani fortiſſimi vnc. 1. vini albi odoriferi vncias 8. ſtet in infuſione per decem horas inde coletur vinum, & tepidum exhibe.

Secundum eiusdem.

Recipe electuarij litontribon ex descriptione Nicoli drac. 3. Iustini drac. 1. misce, & detur patienti.

Tertium eiusdem ad renum calculum.

SI patiens obseruabit istum modum, curæ videlicet cum pinguedine gallinæ butiro recenti, admixta, calefacta vngens locum à supremo ancharum directe vsque ad principium virgæ cum forti frictione manu calida, post in eodem spatio applicabit duas cucurbitulas, vel etiam „ tres; illis enim attrahentibus eleuabitur, & dilatabitur „ tunica pori vritidis & sic teneas cucurbitulas applicatas „ per spatium vnius horæ, & subito remotis dabit patienti „ infrascriptum potum. ℞ seminum naponum, vrticæ ana „ drac. 2. radicum graminis, saxifragiæ drach. 3. bulliant „ in sufficienti quantitate aquæ ad consumptionem medie- „ tatis, & eius colaturam dabis patienti post cuius assum- „ ptionem dormiat aliquantisper, & videbis ipsum repen- „ te mingere lapidem. hęc ille. sed hęc operatio vrgente „ dolore facienda non est.

Aliud eiusdem expertum.

IN hora accessionis detur frequens potus. Recipe succi limonis immaturi vnc. 1. vini maluatici vnc. 3. misce, & exhibe.

Aliud

Aliud eiusdem secretum bene mente tenendum in præseruatione, generatione & discußione lapidis geniti.

RECipe terebintinæ vnc.4. aduratur super laminam ferream ignitam, donec poſſit puluerizari. inde ℞ prędicti pulueris drac.2. aquę saxifragię vnc.4. misce, & fiat potus, qui exhibeatur patienti bis in septimana. quòd si patiens sic continuabit per duos menses continuos, proculdubio pręseruabitur à generatione calculi.

Paracelsi expertum ex lib. de tartaro.

„ RECipe (inquit) oleum fellis terræ alchalizati contriti
„ drach. 2. liquoris lincis spongię Iudaicæ cancrorum
„ ana vnc.3. misceantur, circulentur per mensem: sumatur
„ in potu, quantum velis: nam quo plus de eo bibit con-
„ ducibilius est. & vrinam simul serua, & inuenies tarta-
„ rum in magnitudine sua. hoc (inquit) receptum ample-
„ ctere, & sequere suadeo; de alio enim meliori mihi non
„ cõstat. hęc ille. solet autem hic homo enigmatice sua proferre ideo pro hoc conficiendo remedio, consulendi chimistæ, veluti pro alijs, quę ipse ad hanc intentionem affert. Gloriatur namque, se morbos desperatos esse curaturum. Ideo aliqua eius remedia hic afferam; quæ tamen temere exhiberi non debent.

Secundum eiusdem.

RECipe visci quęrcini vncias tres, seminis citoniorum, de persicis amaris ana drachm. 2. florum apulegij

ſcrop. 3. ſanguinis draconis drac. 2. mellis roſacei quantum ſufficit. doſis 3. 5.

Aliud eiuſdem.

R Ecipe liquoris de cantaridibus drach. 1. de radicibus aquilegij drach. 2. gallæ drach. 5. fiat mixtura cum terebintina lota.

Aliud.

R Ecipe colcotar rubicundiſſimi libras decem, alcool, vini drac. 8. fac mixturam in phiala ſecundum proceſſum retorti cum deſtillatione à primo vſque ad quartum diem exhibit oleum rubicundiſſimum, cuius doſis eſt vna gutta in vino mane, & ſero.

Aliud eiuſdem.

R Ecipe corallorum alborum drac. 1. magnetis drac. 5. hematitis ad pondus omniũ. fiat puluis doſis ſcro. 1. in vino albo, & vrina patientis obſeruetur, & ſi puluis albus in fundo manet, ſignum eſt calculum teri.

Gatinaræ experimentum.

A D calculos frangendos in renibus, & veſica, ſi ſumatur puluis factus de ſecundina mulieris in potu. frangit adeo calculos, vt numquam remaneat veſtigium.

Ad re-

Ad renum calculos ex Dioscoride.

NArdus indica, celtica, montana potui data; verum cæltica cęteris præstat.
Cortices radicis lauri, & illius folia pota.
Cerasi gummi ex vino haustum amygdalarum amararũ gummi ex passo sumptum.
Ononis radicis cortex ex vino potui datus.
Anisum potum.
Cumini siluestris semen potum.
Artemisię decoctum in dissectionibus adhibitum.
Camæ meli decoctum potum, vel fotu adhibitum.
Partenij folia hausta.
Altheæ decoctum bibitum.
Alisinatis decoctum potum.
Tribuli vtriusque, fructuum succus haustus.
Rubi radix pota.
Papaueris corniculati radicis decoctum potum.
Vmbelici veneris folia cum radice pota.
Vinum absintitis potum.
Adiantum potui datum.
Tricomanes potui data.
Vua passa alba commessa.
Melitis vinum assidue potum.
Alcionium tertium potum.

Eiusdem ad vesicæ calculos frangendos.

Cardamomum cum corticis radicis lauri drachma potũ.
Bdellium potum.
Gerasi arboris gummi bibitum.
Aspleni decoctum haustum.
Lithospermon ex vino albo potui datum.
Saxifragia illita.

Grami-

Graminis decoctum haustum.
Tragij semina pota.
Iudaicus lapis coti delimatus, & ex aqua calida potus.
Lapis spongiæ potui datus.

Hæc fere omnia remedia ad illa spectant, quæ per os assumuntur. Quòd si lapis fuerit in vesica per siringam medicamenta infundi possunt; decocta scilicet ex ijs, quę lapidem frangunt. Aliqui ex sanguine hircino suffumygium faciendum præcipiunt per fistulam argẽteam in canalem virgę immissam. sed & per anum infundi poterunt clysteres, qui frangendi lapidem vim habeant. ab ijs, quæ ambiunt, balnea, fomenta, vnctiones, quæ eandem virtutem possideant.

Oleum de scorpionibus, nec non de amygdalis amaris calidum extra adhibitum frangendi calculos vim habet.

DE ATTRAHENTIBVS lapidem. Cap. X.


I lapis nec ijs, quæ impellendi vim habẽt extrahi potuit, nec ijs, quæ frangendi vi pollent; ad illius commotionem veniendum. Si igitur contineatur in renibus, vel vasis vreteribus, frictiones validæ adhibendæ ex calidis oleis; quale est anethinum, & rutaceum: hinc cucurbita applicãda primo quidem ad locum lapidis, inde procedere oportet ad inferiora per obliquam ilium positionem. Fiant & commotiones, & concussiones. Attrahunt & purgantia medicamenta; necnon clysteres acres: vbi enim retinetur vrina, conandum est, vt lapis attrahatur omni ingenio. Quòd

si in

ſi in veſica continetur calculus, ſi fuerit in veſica mulieris facili negotio extrahi poterit; etiam ſi ſit inſignis magnitudinis; quia breuem, & amplum habent vrinæ meatum. Trahitur autem immiſſo ferreo inſtrumento per ſiringam, Quo ingenio extractus eſt nuper calculus in muliere hoc hoſpitali iacentis oui columbacei magnitudinis. Eadem quoque ratione, ſed difficilius in viris; ſi paruus fuerit attrahi poteſt; nulla tamen vis eſt facienda, quia veſica membrum eſt ſenſibile, atque pudendum. Quæ, vbi multum agitantur, neruorum diſtentiones, & mortales excitant inflammationes. vt contigit Vetio, qui cum lapidem in virgę meatu haberet impactum, magna vi, & labore extrahendum curaret, laceratum membrum concepit inflammationem. & ſiderationem; vnde mortuus eſt: tentanda enim huiuſmodi operatio eſt, vbi lapis paruus admodum eſt, quique facile permeet. Quòd ſi nec per hoc ingenium calculus extrahi poſſit, ad ſectionem veniendum. De qua iam ſermonem inſtituimus.

AN SECTIO IN CALCVLOSIS admittenda ſit. Cap. XI.



CVm prenominatis rationibus calculus pelli non poſſit, nullum relinqui videtur auſilium pręter illud, quod à ſectione petitur. hæc exiſtente lapide, vel in renibus vel in vaſis vreteribus, tentanda nõ eſt: Namque (vt ait Auicenna) huiuſmodi operatio hominis eſt, qui rationem non habet: ſæuiſſimis enim ſymptomatibus mors neceſſario ſequeretur. Sed dices? Hippocrates ſectionem in renum calculo admittere videtur. Qui malum curans (ait) cum dolor preſ- *De internis affectionibus.*

ſerit,

ſerit, ſcamoneæ ſucco, aut ipſius radice fomento prius „
adhibito, totum corpus purgato; poſtea vero poſtera die „
duobus congijs decocti ciceris albi ſubpurgato, quod ſa- „
le iniecto bibendum dabis. Cum vero dolor preſſerit, „
multa calida lauato; & tepefactoria, qua parte maxime „
dolet, adhibeto. & ſubdit. Cum autem intumuerit, & „
eleuatus fuerit, ſub idem tempus iuxta renem ſecato. „
Hæc ille. per quæ calculi ſectionem in renibus exiſtentis admittere videtur. Verum non vult Hippocrates ſecandos eſſe renes, ſed abſceſſum, ſi fiat, ad lumborum muſculos ad partem exteriorem. Solum igitur, exiſtente lapide in veſica, aut in meatu ipſius membri, ſectio molienda eſt. Verum ſunt multa, quæ veſicę ſectionem nullo pacto faciendam eſſe admonent; ac primo, ille locus incidendus non eſt, ad cuius ſectionem ſequitur mors: ſed ad veſicæ ſectionem ſequitur mors: ergo veſica incidenda non eſt. Maior certa eſt, minor teſtimonio Hippocratis confirmatur, dicentis, veſicę vulnera, veluti cordis cerebri, ventriculi, ſepti tranſuerſi, iecoris, tenuis inteſtini, eſſe lethalia. quòd ſi mors ad illam non ſequatur (ait Areteus) fiſtula à ſectione relinqui ſolet quæ ingenuis hominibus nõ eſt toletanda, perpetuum ſcilicet vrinæ profluuium, ſiue quis ambulet, ſiue dormiat; propterea de hac operatione verba faciens Hippocrates. Nec

6. aphoriſ. 18.

vero, ait, calculo laborantes ſecabo; ſed viris chirurgiæ „
operarijs hoc faciendum relinquam. Hæc ille. Sed non „
tollunt, quominus vrgente neceſſitate, veſica incidi debeat; nam lethalia quidem ſunt veſicæ vulnera, quæ magna ſunt adeo vt partem illius neruoſam attingant; in parte autem illius carnoſa ſectiones curationem admittunt, maxime in pueris: Quinimmo & ex ſexagenarijs multos ſuperſtites extitiſſe, experientia docet. Poteſt ergo fieri ſectio in veſica ad lapidem extrahendum, nec non etiam in membro, vbi adeo impactus in meatu vrinario

adhæ-

adhæret, vt vrinam impediens, hominem in manifestum vitæ periculum deducat. de sectione igitur vesicæ in primis agendum; ac videndum, quando illa admitti debeat, quia non temere, nec omnibus, nec quomodocũque fieri debet, vt ait Celsus.

QVAE VESICAE SECTIONEM indicent. Cap. XII.



Bi vesicæ calculus ad illam magnitudinem peruenit, vt vrinam impediat, multosque, & assiduos parit dolores, disurias, vrigines, vigilias; nec alijs remedijs extrahi possit, sectio indicatur: quoniam extremis morbis extrema remedia comparata optima sunt. Vbi enim vnica tantum spes salutis *1. aphoris.* est, licet periculosa admodum illa sit, melius est remedium experiri, quamuis periculosum; quam ęgrum morti destinatum relinquere. Sed illud considerandum an æger remedium sit laturus. Quia, quamuis omnia adsint, quæ vesicæ sectionem admittunt, si homo fuerit debilis, cacochimus, senis, lapis magnus, admodum spinosus, vesica debilis, aut etiam exulcerata; aut molienda sectio non est; aut cum prognostico, vbi vrina in totum intercipitur. Si vero homo bonam nactus fuerit temperaturam; sitque robustus, lapis non magnus admodum, nec vesicæ adhærens, ac sectorem doctum, expertum, & diligentem nactus fuerit; speranda salus est. Magna vero salutis spes ex ipsa ætate pendet; si quidem puerorum corpora cum paruo negotio secantur, & euadunt ob mẽbrorum mollitiem difficilius; qui adulti sunt licet ex his

multi euadant, vt experientia ipſa docet. Fuit etiam qui per annorum interualla ter ſectus fuit, mortuus tamen eſt tertia ſectione, euaſurus etiã tunc niſi veſica vlcerata & imbecilla iam admodũ extitiſſet. Cæterũ ſectione facta, ſi dolor modicus fuerit, ſi ſomnus æqualis, ſi nulla febris, nec ſitis, aut illa mediocria, ſi bona reſpiratio, ſanitas ſperanda eſt intra ſeptimum diem. Quòd ſi continua adſit vigilia, lingua arida, ſitis vehemens, ſi venter imus tumet, ſi aluus hiat, ſi tranſiliens vrina, id non rodit, ſi dolores vehementes, ſi rigor adſit, ſingultus, ſi ſimiliter ante tertium diem quædam liuida excidunt, ſi æger nihil, aut tarde reſpondet, ſi poſt quintum diem magnæ febres vrgent, ſi faſtidium cibi permanet, ſi cubare in ventrem iucundius eſt, ſi adueniat conuulſio, aut vomitus, lethalis euentus ſignificatur. Ad ſectionem igitur accedentes, quid in ea faciendum ſit, explicemus.

QVID FACIENDVM IN *ſectione, & de ſectionis ſcopis caput. Cap. XIII.*



QVatuor facienda ſe offerunt, ſecandum accidentia ſectionis mitiganda, ſectio curanda, & virtus toto hoc tempore conſeruanda. A ſectione incipientes dicimus, illius auxilia ſumi ex ijs, quæ extrinſecus adhibentur. Sunt autem hæc ſector, miniſtri, & inſtrumenta. Sector doctus ſit oportet, ætatis quadragintaannorũ, plus, minuſue. in huiuſmodi operatione valde exercitatus, anatomiæ peritus. Miniſtri & ipſi chirurgi ſint, ac iuuenes. nam (vt ait Hippocrates)

impe-

„ imperitis nihil vnquam agendum committes, ne eius, „ quod male fecerint, culpa in te recidat. Instrumẽta omnia parata habeat. quę multa sunt. Primum siringa dicitur, qua exploramus internos vesicæ meatus, in quibus latitant calculi. Debet autem (ait Celsus) habere quinque siringas, ad mares tres, ad fœminas duas in viris maxima quindecim digitorum esse debet, media duodecim, minima nouem. in mulieribus maior nouem, minor vero sex. sequitur secundum instrumentum, itinerarium dictum, quod dorsum habet concauum: quoniam supra illud sectio fieri debet, tertium instrumentum est nouacula, per quam fit incisio, quæ tenuis, & acutissima esse debet, vt celerrime operatio fiat. Nam sectiones, quę dolorosæ nimium sunt, confertim sunt faciendę, teste Hippocrate. Quartum instrumentum exploratorum dicunt, quod per incisionem immissum, quod in vesica continetur, adinuenit. Quintum ductor dicitur, sunt autem bini, per quorum latera sextum instrumentum, aperiens dictum, in vesicam intromittitur. septimum sunt forfices dentibus serratis ad lapidem apprehendendum, ac extrahendum. octauum duo latera dicta, quę subsidio sunt forficibus, vbi lapis magnitudinem habet insignem. Nonum dicitur frangens, quo lapis frangitur, qui integer ob illius molem extrahi nequit. Sequitur buction, qui & verriculum dicitur trahens ad vulnus, quid lapidis, aut coagulati sanguinis in vesica remansit. Vltimum est cocleare, quo intromisso, mundatur denique vesica. Cæterum in sectione molienda, primo tempus, inde sectionis quantitas, qualitas, locus, & modus explicabitur.

Lib. de chirurgi officina.

O 2 DE

DE TEMPORE, QVANTITATE, qualitate loco, sectionis. Cap. XIIII.



Empus vel est ipsius morbi, vel ipsius anni patet autem, quoad morbi tempora spectat, non esse faciendam sectionem, dum dolor vrget; sic enim inflammatio concitaretur; sed eo tempore, quo maxime quiescit æger. anni tempus (si morbus inducias fert) temperatum eligi debet, quale maxime est ver ipsum. ad quem relegat Hippocrates omnes difficiles curationes; sin minus ipsius autumni. Fugienda autẽ sunt solstitia, necnon & ęquinoctia per dies aliquot. vt ait Hippocrates maxime si quidẽ obseruare oportet magnas temporum mutationes, vt neque medicinas in illis exhibeamus, nec vramus, nec circa ventrem secemus, priusquam prętereant dies decem, aut plures, & non pauciores. periculosissima sunt ambo solstitia; maxime vero ęstiuum. Periculosum etiam æquinoctium vtrumque, magis vero autumnale. Vehementes igitur calores, & frigora fugienda, tempus tamen commodius est calidũ. vesica enim frigida est, exanguis, & neruosa frigidum autem vlceribus mordax, & dolores insuppurabiles facit; calidum autem in quo vlcere pus mouet, magnum securitatis præbet inditium. Si vero morbus inducias nõ fert, quocunque tempore operatio faciẽda est: si quidem plus potest vehementissimus affectus indicando, quàm tempus correpugnando. hora vero conueniens est matutina, homine prius aliquantisper per cibato, vel per sorbitionem ouorum tremulorum, vel per buccellas vini maluatici,

Lib. de aere aqu. & locis.

5. aphoris. 21.

quo

quo minus in operatione deficiat. Quantitas sectionis à quantitate lapidis desumenda est; dummodo magnitudinem insignem non habeat. Solet autem fieri ad vnguis digiti pollicis magnitudinem: non tamen secando se extendere debet ad neruosam vesicæ partem, ne vel mors, vel fistula sequatur. Fugiendus item est ceruicis musculus, ne inuoluntarium sequatur inde vrinæ profluuium. Illud tamen Celsus animaduertit, plagam maiorem efficiendam esse, quàm calculus sit. Nam qui metu (inquit) fistulæ parum patefaciunt, cum maiori periculo reuoluũtur, quia calculus iter, cum vi promitur, facit, si non factum inuenit. Figura quoque calculi, vel asperitudo aliquid confert, ex quo & sanguinis profusio, & distentio neruorum fieri potest, Quæ si quis euasit, multo tamen patentiorem fistulam habiturus est. hæc ille. Quæ ita intelligenda sunt, vt sectio maior sit calculo mediocri tamen existente. Quãtum ad sectionis qualitatem spectat, non conueniunt antiqui cum modernioribus. Paulus siquidem, Celsus, & Auicenna sectionem transuersam faciendam, iubent. Lunata fit (inquit Celsus) ipsa plaga, cornibus ad coxam spectantibus. Auicenna vero inquit, fac super ipsum figuram tendentem ad transuersum parũper cum ingenio bono. sed moderni lithotomi rationabilius secundum villorum longitudinem sectionem faciunt: Nam facta obliqua plaga, etiam si crura simul iungas, vlcus hiat, & adapertum seruatur. vnde vrinæ stillicidium perpetuum, & fistulæ gignendæ paratur aditus. At in plaga secundum longum facta facillime vniuntur vulneris labra. locus, in quo fit sectio, varius est in viris, atque mulieribus; commune tamen illud ambo habent, vt locus eligatur, quo nec corpus vesicæ lædatur, neruosum existens, nec musculus collum vesicæ ambiens penitus incidatur, qui prope os fœmoris terminatur. locus igitur in viris aptissimus est inter anum & ossis fœmoris extre-

extremum, qui duorum extremorum medius eſt. Cum vero pars ea, quæ ano, & teſticulis interiacet per lineam quandam diuidatur, cauendum religioſe eſt, ne ſupra illam fiat inciſio: Nam inciſio ſupra commiſſuram (teſte Auicenna) eſt mortalis. Declinare ergo illam tantiſper oportet, & ad latus incidere, ſeu velis, dextrum, ſeu etiā ſiniſtrum. In mulieribus autem, quas ſolum in maximis calculis ſecamus, vt ait Celſus, (nam in ijs, vbi paruus calculus eſt, ſcalpellus eſt ſuperuacaneus; quia is vrinam in veſicæ ceruicem non compellit; quæ breuior, quàm in maribus, & laxior eſt, vnde facili negotio attrahitur) locus, vbi inciſio facienda eſt, is eſt, qui inter pubis os & vrinæ pudendum intercedit: ſi quidem non multum, ob vteri collum, inferius deſcendere oportet. Nunc de ſectionis modo dicendum.

DE MODO SECTIONIS. Cap. XV.



Odus comprehendit corporis præparationem, illius commodum ſitum, calculi ad locum adductionem, inciſionem, & lapidis extractionem. Cum igitur ad ſectionem veniendum eſt, ante aliquot diebus curandum, vt ſalubres cibos, paucos, & minime glutinoſos aſſumat. Sed & in adultis venę ſectio, aut purgatio neceſſaria fuerit, quo ab inflammatione tutus ſit. Quod in magnis ſectionibus obſeruauit Hippocrates, qui de ſectione vuę verba faciens, corpus aut purgatione, aut venæ ſectione euacuandum pręcipit, ne aut ſuffocationis, aut hemorragię periculum ſubeat. Quod ad ſi-

Lib. prognoſt.

» ad situm spectat, Celsus in hanc formam illum describit.
» Homo (inquit) præualens, & peritus in sedili alto consi-
» dat, supinumque eũ aduersum per genua coxis eius col-
» latis comprehendit, reductisque eius cruribus; ipsum
» quoque iubet, manibus ad suos poplites datis, eos, quàm
» maxime possit, attrahere; simulque ipse suos continet.
» Quòd si robustius corpus illius est, qui curatur; duobus
» sedilibus iunctis duo valentes insidant, quo & sedilia &
» interiora crura inter se deligantur, ne deduci possit. Tum
» is super duorum genua eodem modo locatur; atque al-
» ter, prout considit, sinistrum eius crus, alter dextrum; si-
» mulque ipse poplites suos vt attrahit, siue autem vnus,
» siue duo continent super humeros eius suis pectoribus in-
» cumbunt. In quibus euenit, vt inter ilia sinus super pu-
» bem sine vllis rugis sit extentus, in angustum compulsa
» vesica. Prẹter hæc etiam à lateribus duo valentes obij-
» ciuntur, qui circumstantes leuare, seu vnum, seu duos,
» qui ægrum continent, non sinunt. hẹc ille. Sed recentio-
res in ea figura positum hominem alligari solent fascijs in crucẽ per collum ad crura progressis. hinc tres ministros adhibent, duos ad crura retinenda dextrum scilicet, & sinistrum, tertius vero testiculos sursum ad pubem attrahat. Ita igitur homine locato lapidis magnitudinem, & figuram explorare oportet: Nam nisi de magnitudine illius certi simus, quantitas sectionis recte coniectari nequit. Immissa igitur per virgẹ canalem siringa primo lapidem inueniat, inde ad explorandam magnitudinem, & figurã leuiter circa illũ fistulam circũducat, quẹ & duobus digitis per anũ immissis vnius manus, altera vero ad vesicæ collum adhibita cõprehendi potest. Quòd si asper fuerit calculus vrina cruenta esse solet, & dolores ingentes: si vero lenis, vrina lactea apparet, dolores vero grauantes, non multumque affligentes, aderunt. hinc lapis ad locũ trahendus, vnde incisio fieri debet. id quod tum

ægri concussione, tum digito per anum immisso, fiet quo facto resupinetur medicus, omnia habens in se instrumenta abscondita, inde locum examinet ad incisionem aptũ, deinde itinerarium instrumentum, supra cuius dorsum sectio est facienda, per pudendi meatum immitat, & cum ad vesicæ collum deuenit, altera manu, sinistra scilicet, instrumentum teneat; altera vero anulari digito locum quærat, quem designauit, sic vt sub illum sit dorsum itinerarij (apparebit enim extensus locus) supra quem vno impulsu secet à dextro latere, si dexter fuerit; sin autem sinister, à sinistro. fiatque incisio secundum longitudinẽ, quo ad itinerarij cauum attingat: aduertens, ne dum secat, ad hanc vel illam partem declinet. Facta incisione iubeat, vt minister teneat nouaculam, & ipse exploratorium accipiens instrumentum per nouaculæ latera in vesicam intromittat, quo vrina (si quæ ibi continetur) foras prorumpat. Quo facto itinerarium extrahat altera manu; altera vero exploratorium per vulnus immissum in eodem loco seruet. Duo ductoria intromittat per ipsius exploratorij latera, prius vnum, & inde extracto exploratorio, alterum; quibus inter indicem, & pollicem apprehensis tantum patefaciat loci, quantum aperienti instrumento pateat ingressus. Quo intromisso per ductorum latera fiat dilatatio tanta, quanta lapidis magnitudini conueniat. hinc intromittatur forceps, & apprehensus calculus cum præmeditatione, & mansuetudine foras trahatur. Quòd si insignem magnitudinem lapis habuerit, non statim ad frangendum te conferas; periculosa enim nimis talis est operatio, & non cuiusuis hominis; sed ligato forfice, ne lapis excidat, & lateres immittendi quo duobus forcipibus lapis apprehensus leniter foras veniat. Quo ingenio magni lapides etiam si ad oui magnitudinem accedant, extrahi possunt. At vero si adeo magnitudine excedat, vt sine magna vesicæ incisione, aut

lacera-

laceratione, extrahi non possit, frangendus est: Quę operatio valde periculosa, & miserabilis est, requiritque hominem valde exercitatum: extracto calculo, instrumentum, quod verriculum dicitur, per sectionem intromittat in vesicam, per quam, circumducat illud, ac examinet, si alij calculi adhuc intra latitent: quia non vnus tantum sed multi reperi solent, qui si relicti fuerint eodem negotio sunt promouendi. Facile autem extrahitur lapis, si vesicæ membranæ non adhæret impactus, periculum vero imminet non paruum, si agglutinatus hæret: nam dũ trahitur lacerationis vesicæ timor est, vnde mors sequi solet. Postremo cocleare dictum instrumentum per incisionem immittendum ad vesicam abstergendam non bis, sed terque, quaterque, atque mundanda vesica tum à lapillis, si qui relicti sunt, tum à sanguine, si quis intra illam contineatur. Hæc de sectione. Nunc de sectionis cura simul & virtutis conseruatione, necnon mitigatione dicendum.

DE RELIQVIS QVAE IN *sectione facta Medicus obire debet. Cap. XVI.*



FActa sectione vulnus ad sanitatem perducendum, nisi quidpiam impedire curationem valens adsit fit autem omnis vlceris sanatio per vnionem, quæ aliquando ab ipsa natura solum fieri solet. Adhibent tamen aliqui ligaturam per pectinem circumductam, quæ testes ad superiora eleuet iunctis cruribus, tum vt labra vlceris coeant, tum ne sanguis testium

bi anam aggrediens, illam putrefaciat, & interficiat patientem. Celſus ne vinculum quidem adhibendum admonet. Quòd ſi felix curatio fuerit, ante ſeptimum diem vulnus coaleſcit. Quo tempore ad virtutis conſeruationem victum exhibebimus tenuiſſimum vſque ad quartum diem: veſicæ namque vulnus magnus proculdubio eſt morbus; ideo vel ptiſana, aut iure pulli vſque ad prędictum tempus contentus ſit. Potus aqua mulſa ſit. vltra quartum diem augere victus rationem poſſumus, omnibus certam ſalutis ſpem promittentibus. Quòd ſi accidentia adſint, prius illis ſuccurrendum, inde ad vulneris ſanationem veniendum. Quoniam igitur ſanguis in omni inciſione ſubſultat, eum niſi quantitate excedat, ſupprimere non oportet, ſi validum corpus eſt, neque magnopere vexatum; quo minor inflãmatio oriatur. Quòd ſi ſanguis excedat multum, ſupprimendus eſt omni ratione; ſupprimitur autem maxime per ea, quæ extrinſecus adhibentur. ligatura ſcilicet, linteis, ex aqua frigida & aceto madefactis impoſitis circum circa, iuxta illud Hip-

In aphor. pocratis. Frigidum in ijs vtendum, vnde fluit, aut fluxurus eſt ſanguis, non quidem loco, vnde fluit admoto. Adhibere etiam poſſumus pulueres adſtringentes, qui ex ture ſanguine draconis, bolo armeno, leporum pilis, oui albo exceptis conficiuntur. quæ ſi parum proficiunt, cucurbitæ ad hepar, nec non ad coxas inde applicandæ, atque æger reſupinus locandus ſic, vt caput humile ſit coxis paulum eleuatis. At ſi ſanguis intra veſicam contentus, grumus fiat, quod ex difficili expiratione cognoſcitur, tumore ipſius, pubis, diſſoluendi grumi ſunt, atque foras trahendi. diſſoluunt autem acetum cum nitro aut poſca in veſicam immiſſis. ſed & per plagam immiſſo cocleare extrahi poteſt. Ad vrine vero ſtillicidium, quod per vulnus procedens affligere ſolet. Adhibenda eſt ligatura, nec non crura inter ſe vnita ſeruanda, & aſ-

ſumen-

ſumenda aqua, quo minus fiat acris. ſub natibus vero ſacculus furfurum ponendus. Quòd autem ad dolorem ſpectat, quoniam hic excitare ſolet inflãmationem, ideo mitigandus eſt: quod fit tum per lenientia, tum per illa, quæ ſtuporẽ inducunt. Inter lenientia, balneum ex aqua tepida cum plurimo oleo, in qua de cocta ſint camomeli, melilotum, alteæ radices,& cætera huius generis, primas partes obtinet, in quo mergatur æger ad vmbilicum vſque. Adhiberi quoque poſſunt, & fotus, & vnctiones, à balneo locus fouendus laneis calidis oleo camomeli intinctis, atque iterandum balneum ſi dolor vrgeat vſque ad quartum diem, in quo magnus ſolet eſſe timor inflam„ mationis, vt ait Hippocrates. Minime (inquit) tertia, aut „ quarta die vulnera mouere oportet, & vt in ſumma di„ cam, omnes ſpiculorum admotiones euitare conuenit in „ ijs diebus, & alia, quibus vulnera irritantur, in totum „ enim tertia & quarta dies in pleriſque vulnetibus recru„ deſcentias pariunt. Ab ijs, quæ in corpus ſumuntur, lenes clyſteres conueniunt, quales, qui ex anetino oleo conficiuntur, aut camomelino puris, quæ & per os aſſumi poterunt. Quod ſi ijs non cedat malum, ad ſtupefacientia veniendum, qualia intus aſſumpta ſunt philoniũ Romanum, theriaca nouella. Ab extra autem olea papaueris, mandragoræ, hioſciami, quibus grana aliquot oppj immiſceri poterunt. quæ non niſi magna vrgente neceſſitate ſunt admouenda: veſica namque ſua natura frigida eſt, & exanguis, proinde poſt ſtupefacientiũ vſum pars roboranda, & calefacienda, quo noxa omnis remoueatur. Hæc de veſicæ ſectione. Quòd ſi lapis in penis meatum impactus vrinam penitus ſupprimat, nec intus extraue impelli poſſit inſtrumentis aut parte emollita, ad ipſius virgæ ſectionem veniendum eſt; cuius quantitas pro calculi magnitudine facienda eſt. locus variat, quia aliqui in parte inferiori ſecant, aliqui in ſuperiori: qui

De fractu-ris.

melius consulunt; euia cum pars ea sit carnosa magis, minorem inferet dolorem, & citius agglutinabitur. Pars namque inferior, licet ob tenuitatem facile incisioni pareat locus, neruea est, & magis in fistulam abire apta. sic Galenus, aut quicunque alius fuerit, in superiori parte ,, sectiouem molitus est. Hinc ego vidi quendam, ait, cui ,, per alias vias elapsus in virilium extremitate calculus tamen ,, inerat impactus, minimeque aberat, vt ex vrinę difficultate, ,, & dolore acutissimo homo interiret, nisi angusto ,, tandem forcipe eximere potuissemus, sectionem per ,, longum superne moliti: nam vreteram, nisi magna vrgeat ,, necessitas, incidere non oportet, ne fiat sic fistulosa ,, pars, & vrina profluat. Hæc ille. Per quæ sectionem in parte superiori fecit, quæ vel etiam illa ratione est commodior; quoniam minus pars ea est commoda ad vrinã per vulnus reddendam quam inferior, ob situm. modum autem, quo fieri debet, docent Paulus, & Celsus. Inquit ergo Celsus, nonnumquam etiam prolapsus in ipsam ,, fistulam non longe ab exitu inhæreſcit, tunc si fieri ,, potest, oportet euellere oriculario, spicillo, vel eo ferramento, ,, quo in sectione calculus protrahitur. Si id fieri ,, non potest, cutis extima quamplurimum attrahenda, & ,, condita glande lino vincienda, deinde à latere recta plaga ,, colis incidendus, & calculus eximendus, tum cutis ,, remittenda: sic enim fit, vt incisum colem integra pars ,, cutis contegat, vt vrina naturaliter fluat. Hæc ille. A quo non multum dissentit Paulus, nisi quòd sectionem in parte inferna adhibet. Præputium, ait, valide ad interiora ,, attractum deligabimus iuxta glandis summitatem. ,, Item posterior pars pudendi vincietur iuxta terminum ,, ad vesicam spectantem, constrictione adbibita. deinde ,, infra colem diuidemus super lapidem ipsum, qui incidẽdus ,, subijcitur. Flexo autem membro calculum eijciemus ,, solutisque vinculis vlcus sanguine concreto vacuabimus. ,,

Lib. de renum affectionibus cap. 3.

„ bimus. posterius itaque vinculum iniectum est, ne calculus retrorsum recurrat. anterius, ne post calculum exēptum præputij soluti cutis in oppositum recurrens, diuisionem contegat. Cæterum fistulæ timor est in sectione membri; proinde ea non est obeunda operatio nisi magna vrgente necessitate, non tamen calculus impactus vlla vi magna extrahi debet; nam lacerationis membri inest periculum, & mortis, vt contigit Hieronimo Vetio. Hæc igitur pro actione Medici prima, quæ ad curationem calculi spectat, dicta sufficiant. Nunc ad illam veniamus, quæ accidentium correctionem respicit, quam mitigationem dicimus.

DE ACCIDENTIVM CORrectione in calculosis. Cap. XVII.



Olor, qui in calculosis fieri solet, ita infestare ęgrotantes consueuit, vt ad se rapiat omne medicum præsidium: Nam vires vehementer dissoluit, inflammationes parit, vigilias excitat, & hominem conficit. Causæ igitur doloris abijciendæ. Illæ autem (vt diximus) tres sunt, partis sensus, qui dolorem percipit, facultas, quæ manat à cerebro, & id, quod dolorem concitat. Id, quod dolorem facit, calculus est, & humorum copia, quę ad partem dolentem fluit; at calculus quomodo abijciendus sit, dictū est, humorū copia, quomodo euacuanda, abunde docuimus. moliendæ sunt non solum sensibiles euacuationes ad humorum copiam, sed insensibiles, quales per anodina fiunt, de quibus in cap. de emollientibus satis locuti sumus. Cæterum partis sen-

tis ſenſus tum anodinis prȩſcriptis, quȩ calorem innatum conſeruant, partemque perſpirabilem reddunt, tum ſtupefacientibus remedijs maxime tollitur; qualia intus aſſumpta ſunt philonia antidota theriaca recens, in qua oppium validum adhuc eſt, pillulæ de cinogloſſa, ex ijs, quȩ intra ſumuntur; extra vero vnguenta, olea, fomenta, quȩ opij, hioſciami, mandragoræ papaueris vires ſuſcipiant, licet & mentem alio euocare, quo minus dolor ſentiatur. ſic per ligaturas, frictiones, alioſque dolores mentem auertimus, nec non ijs, quȩ hominem ſolantur, ac iucundam voluptatem promittunt. Soluitur & dolor maxime ſomno, de quo iam dicendum eſt. vigiliȩ namque infeſtare ſolent omnem dolorificam affectionem, maximeque hanc, quæ multa mala parit: nam vires valde diſſoluit, cruditates efficit, conuulſiones & delitia. Contra ergo vigiliarum cauſas omnes pugnandum ijs, quæ quoquo pacto ſomnum inducunt. Cæterum ſomnus fit quoties calor innatus in partibus internis latitat, nec ad ſenſoria fertur, vel in illis verſari poteſt. Multæ autem ſunt cauſæ, quæ calidum innatum intus continent, prohibentque quominus ad externa moueatur: nam vel id fit, quòd illius ſubſtantia ſit veluti congelata; quo pacto frigida alimenta, & medicamenta intus aſſumpta, & exterius admota, ſomnum pariunt: vel quod calidi ſubſtantia non gignatur, quo pacto ex inedia, & pauciori cibo, ſomnus tandem oritur: vel quod genita diſſoluatur; quà ratione cogitationes, corporis labores, vigilia ipſa, & quicquid euacuat, digeritque noſtrum corpus, ſomnum conciliant. Alio modo genita ſubſtantia ſpirituoſa ſomnum parit, cum rectos ſuos motus ad cerebrum non ſequitur; quomodo nauigationes, & ambulationes circulares ſomnum afferunt. cum vero multi vapores à concoctione alimenti attolluntur ad caput, oboritur ſomnus, quia ab illis via calori occluditur. cum etiam ad conco-

ctionem

ctionem distrahitur calor, aut allicitur ad inferiores partes per leues frictiones, & lotiones, somnus nascitur. porro nox, tenebræ, oculorumque conniuentia somnum alliciunt; quia obiecta, quæ sensus mouent, & calorem naturę instrumentum ad se commouent, tollunt. idem faciunt animi securitas, tranquillitas, & cessatio à cogitationibus, strepitusque aquarum ex alto cadentium, atque suauis cantus, & alia, quæ veluti in quiete animum, & sensus collocant; in quibus cum calor nihil habeat, quod agat, ne sit otiosus, refugit ad interna. hic autem ab ijs potissimum, quæ calorem quodammodo supprimunt, ausilia sumemus contra vigilias, quas parit dolor; quia ad partem calorem euocat, & prohibet, quominus intus trahatur nam dolor calidum auget, quod foras progrediens, somnum impedit. Somnum igitur conciliant hiosciami semen ad drac. 1. potũ. cortex item radicis solani somnifici in vino potus, semen papaueris in cibo sumptum, mandragoræ radicis ex vino decoctum, ciati vnius mensura potum, mandragoræ poma olfacta naribus, mandragorę liquor sedi pro balamo subditus, arborei, lapideiue musci ex vino dilutum paratum potum. salicis recentia folia, in lotionibus addita, persicorum nucleorum cremor fronti, & temporibus illitus, amygdalæ dulces cum rosacea aqua illitę, lactucę succus ex rosaceo fronti, & temporibus illitus, coralleum potum. ex compositis, syrupus papaueris ad vncias duas exhibitus cum aqua semperuiui, aut solani, diacodion ad vnciam vnam, cum aqua lactucæ, requies Nicolai ad drachmam vnam, pillulæ di cinoglossa ad drachmam vnam ex vino exhibitæ. Hæc pro somno conciliando. Nunc ad vrinæ difficultatem veniamus, quæ valde affligere solet ægrotantes, & si in totum supprimatur ante septimum diem occidere solet. Si igitur lapis obturans illius causa fuerit prędictis rationibus è corpore pellẽdus,

aut

aut ita transponendus, vt locum mutans vrinæ cedat. Quod difficillimum est, vbi lapis, vel in renibus, vel in vreteribus continetur. Si vero vesicæ meatum obturet, nisi extrahere velis, transponere oportet. supinum igitur decubitum præcipere oportet, ita vt coxarum parte magis sursum vergant, indeque huc, atque illuc multiformiter commouere, quo ex meatu excidat. post vero sic supinus existens, vt mingat iubeto. Si vero nec sic excernere poterit per catheterem instrumentum impellendus est, per quod etiam vrina excernetur: nam fieri potest vt ita impactus sit collo vesicæ, vt nulla ratione transmoueri possit, tunc instrumentum, vt cedat, saltem cogit. Sed si in penis meatu lapis sit impactus, vel extrahendus, aut transmouendus; quod si fieri non possit, ad sectionem membri modo, quo diximus, veniendum. at si ex concreto sanguine retineatur vrina, quæ grumos dissoluunt, tum intra, tum extra adhibitis vtendum. De quibus iam dictum supra est. Qui grumi, si dissolui non possint, vrinamque penitus supprimant, eadem habent auxilia, quæ lapis, transpositionem, atque extractionem. Si autem ab arenulis, ac multitudine crassæ pituitæ obstruuntur viæ, illa adhibenda, quæ vrinas mouent. De quibus abunde dictum est capite de lapidem pellentibus.
7. aphoris. 48. Inter cætera vero stranguriam, & disuriam soluit (inquit Hippocrates) vini potio, ac crurum venarum sectio; sed vinum validum esse debet, & magnum, cum quo miscenda sunt diuretica: hoc namque vinum veluti calculosis aptum non est ad calculi generationem, quòd nimium venas adurat. ob quam rationem vinum aquosissimum dandum pręcipit Hippocrates, ita accessionis
De aere, aqu. & locis. cap. 5. tempore ad lapidis expulsionem, ac vrinæ difficultatem multum potest. denique quicquid obturat, aut remouendum, aut transmouendum. Si vero ex lapidis volutatione sanguis multus emanet vlceratis partibus adhibenda, quæ

da, quæ adſtringendo diſſoluant; qualia maxime ſunt
" acetum, & poſca. nec non omni ratione extrahendus.
" Aluus vero ſi exſiccetur, tum acceſſionis tempore, tum
" per vniuerſum morbi progreſſum, ſoluenda eſt, tum ali-
" mentis, tum medicamentis, de quibus in capite de eua-
" cuantibus diximus; atque his ſic explicatis ſecunda no-
bis propoſita operatio facta eſt, quæ mitigationem reſpi-
" cit. Nunc de conſeruatione, & reſtauratione dicendum.

DE CONSERVATIONE ET *reſtauratione.* *Cap. XVIII.*

VIres, quæ ſemper in omni ægroto reperiũ-
" tur, ſui conſeruationem deſiderant: ſunt
" enim ſecundum naturam, imo ipſamet
" natura: hęc vero non contrarijs, ſed ſi-
" milibus conſeruanda. cõſeruatur autem
" quàm maxime per alimenta, nec non per
illa, quæ calidum innatum augent, coctionemque fo-
" uent. Cum vero calculi morbus longus ſua natura ſit,
" victus rationem expoſtulat nõ plenam, quæ vires augeat,
" non tenuem, quæ diminuat (iuxta illud Hippocratis, vi- *1. aphoriſ-*
" ctus tenuis, & exquiſitus in morbis longis ſemper, & in *morum 4.*
" acutis, in quibus non conuenit, periculoſus). ſed medio-
" crem, qui eas mediocriter conſeruet. De quo in tractatu
de præſeruatione abunde dicemus. Cum verò morbus
" hic habeat acceſſiones de genere acutorum morborum,
" in illis abſtinere oportet, iuxta illud in ipſis exacerbatio-
" nibus cibũ adimere oportet; nam prębere noxium, & cũ *ibi apho-*
" per circuitus redeunt morbi in ipſis acceſſionibus abſti- *riſ. 15.*
" nendum. igitur victus eo tempore tenuis competit, tan-

tumque magis aut minus, quātum dolor & reliqua sym-
aphoris.7. ptomata magis, minusue infestant, iuxta illud. Cum ita- "
que morbus peracutus est, extremos protinus labores ha "
bet, summeque tenuissimo victu est vtendum. cum vero "
non, sed pleniorem victum licet exhibere, tantum de ex- "
trema victus ratione remittendum, quantum extremus "
1. aphoris. 17. morbus fuerit remissior. illud perpetuo obseruando, vt
quibus semel, aut bis plus, minusue, aut minutatim ale- "
re conueniat, spectemus; demusque aliquid tempori, re- "
gioni, ætati, & consuetudini; tempori quidem, quia
aphor. 15. ventres hieme calidissimi, & somni longissimi per ea igi- "
tur tempora plus cibi dare oportet, si quidem plus natiui "
caloris habent; quo fit vt copiosiori alimento ægeant, "
argumento sunt ætates, & atletæ. Ideo etiam æstate, & "
autumno cibi copiam ferunt difficillime; hyeme, facilli- "
aphor. 18 me; vere, minus. ætati autem dandum est aliquid; quia
qui crescunt, plurimum habent innati calidi, itaque co- "
pioso cum ægeant alimento, abunde ipsis suppeditare "
aphor.14. oportet. alioqui corpus consumitur. in senibus vero in- "
est caloris parum, paucis propterea succendiculis ęgent: "
exiguus namque ignis fomitis extinguitur multitudine. "
ob eandem causam nec senibus febres perinde acutę fiūt: "
aphor.13. frigidum enim eorum corpus. proinde ieiunium senes "
non decrepiti ferunt facillime, secundum, hos, qui con- "
stantem ætatem agunt, minus adolescentes, minime om "
nium pueri, atque inter eos maxime, qui acriori, & vi- "
uidiori sunt ingenio præditi. Consuetudini vero dandum "
aliquid est; quoniam hęc altera est natura in tantum, vt "
Lib. acutorum. facile quidem feramus cibos, quibus assueti sumus, etiā "
si natura non sint boni. Similiter etiam potus ægre vero "
illos, quibus assueti non sumus, etiam si non sint mali. "
Regio autem multum ad cibum facit, alibi enim magni "
De aere, aqu. & locis. sunt potatores, alibi crapulæ vehementer dediti. Cęte- "
rum in acuta calculorum accessione nullus conueniētior

cibus

" cibus ipsa ptisana exhiberi potest: hęc enim inter omnia
" formentacea ædulia, ait Hippocrates, palmam obtinet *Lib. acutorum.*
" in acutis morbis: humida enim est, continua, lubrica,
" iucunda; facile distribuitur, sitim eximit, nec obstructio-
" nem parit, nec malam turbationem, nec in vẽtre tumet.
intumuit enim in coctura. hęc igitur sola magna vrgente accessione sufficit, pręcipue in renum calculo; si vero leuius sit malum ad pullorum iura transeundum, in quibus optimus panis sit maceratus ad ignem; conueniunt & pullorum alę, cocta endiuia, quę tum parum nutrit, tum morbum respicit. potus, aqua mulsa, aut vinum album pauciferum, si febris non adsit; quibus vsque ad morbi remissionem contentus esse debet: vbi enim magni adsunt dolores, magnæque vigiliæ, victus extenuandus admodum est. Cæterum vbi æger accessionem euasit, quoniam laboribus fractus est, restaurandus venit, illud animaduertendo, quod quæ sensim euacuata sunt corpora, sensim reficere oportet; quæ vero breui, repente. *2. apho. 7* cibi vero ad restaurandum apti, liquidiores esse de-
bent, iuxta illud Hippocratis, Facilius est potu refici, *2. apho. 11*
" quam cibo: nam eodem authore, humidum alimentum
" facile magis transmutatur, quàm siccum. Quicunque *Lib. de alimento.*
" autem loci appositione opus habent, ijs humidum ad re-
" ficiendas vires medicamen optimum est; quicunque ve-
" ro adhuc velociori indigent, per olfactum. reficiunt
etiam somnus mediocris motus, quies, vnctiones, lenes frictiones, mentis iucunditas. sed de his satis. Accedamus ad illa, quibus calculus præcaueri possit. quod vltimum faciẽdum proposuimus.

∴

DE PRAESERVATIONE calculi ac primum de materia. Cap. XIX.



MAteria vel genita est, vel gignenda; si fuerit genita, multaque extiterit, euacuationem postulat; si crassa, incisionem; si lenta, abstersionem. gignenda vero talis esse debet, vt substantia sit mediocris, minimeque crassa, aut lenta, ac denique cocta. genita materia vacuabitur iuxta genus abundantis humoris. quapropter in homine, qui sanguine multo abundat, saltem semel in anno sanguinem mittemus, huncque à vena pedis, crurumue. Si vero praui abundent humores purgandi sunt, idque non semel, sed bis, & quater quoque in anno. tempus autem accommodatissimum est vernum iuxta illud, Quibus venæ sectio, aut purgatio competit, ijs vere secanda est vena, & purgatio imperāda. Poterit autem rursus purgari in reliquis quatuor anni temporibus; fiet vero purgatio ijs, qui per superiora facile vomunt, per vomitum etiam, alijs vero per aluum. De medicamentis autem, quibus purgatio facienda sit, satis diximus, cap. de euacuandis calculosis; ideo non est necesse, vt nunc superflue repetantur. illud admonere placet, euacuationem, quæ per vomitum fit, non modo à calculo præseruare posse hominem, si bis in mense fiat, sed ab alijs quampluribus longis affectionibus. Ideo Hippocrates eos elleboro purgare iubet, qui in renibus calculos concipere solent, iuuenes tamen dixit; quia elleborus magnam habet purgandi vim; cæteri vero vomitum à cibo facere poterunt, aut leui vomitorio

7. aphoris. (margin note beside "tissimum est vernum iuxta illud")

torio vti. Materia, quæ remanet, si fuerit lenta, incisionem desiderat, quam vsus oximelitis præstat assiduus; nam, quæ vehementer calida sunt, resoluunt tenuem, & materiam incrassant. exercitium item ad tenuandum humores, magnum est præsidium, ob quam rationem dixit Hippocrates, Quiescere non conducit, sed exerceri: *6. epidim.* Debet autem esse moderatum pro natura habitu, ætate, & assuetudine ægrotantis. Lentor materiæ abstergentia desiderat, quæ per aquarum assumptionem thermalium optime fit, Tetuccij scilicet, porretæ, montis sancti Iuliani: poterit enim talis aqua ad omnem regionem exportari, earum enim vsus frequens est, & notissimus, vtilitas multa. Abstergunt item renes, & venas repurgant frequens terebintinæ vsus, nec non cassiæ fistulæ, ac rabarbari; laudatur & cardui vsus quàm maxime. Oportet enim eius radices à terra recenter extractas, si tempus ita ferat, aut aridas, iuxta aliud tempus in vino albo substantia, tenui decoquere, largiusque eius potionem offerre: crassæ enim vrinæ copiosam multitudinem ducit, tum ex omnibus venis, tum ex calculosis partibus. Laudat Auicenna ad hunc vsum cicerum aquam, nec non foliorum raphani, inter ea vero, quæ nos ambiunt, balneum dulcium aquarum miram habet abstergendi efficaciam. Debet autem esse calculosis balnei frequens vsus: abstergunter enim sordes à partibus externis, corpus apprime trāspirat, viæ laxantur. Hęc de genita materia. Nunc de gignenda sermo habendus.

DE MA-

DE MATERIA GIGNENDA. Cap. XX.



Væ, futura est corpori alimentum, materia talis comparari debet, vt non multa gignatur; eaque substantia sit non crassa, nec lenta; cum vero humorum materia alimentum sit, ideo tale alimentum comparare oportet, quod prædictam materiam gignendi vim habeat. Alimenti autem genus alterum crasſũ est, quod cibus dicitur, alterum tenue, quod potus. Videndum igitur, quodnam genus alimenti calculosis est aptissimum, indeque species, genus alimenti calculosis competens quinario numero comprehenditur, panis, scilicet, caro, pisces, vinum, & aqua; aliud vero præter hęc nihil nisi condimenti gratia, aut medicamenti. Cuius sententiæ Hippocrates in primis author est, dum ait. Cibaria, potus, & obsonia excepto pane, & mazza, carnibus, piscibus, vino, & aqua, reliqua omnia tenues, ac debiles vtilitates exhibent ad augmentum, & robur, & sanitatem. Hęc ille. Quę tanti viri sententia multis probari potest. primo illa solum optima sunt homini cibaria, quę naturę humanæ sunt accommodatissima, & simillima; sed prędicta quinque vel sola, vel maxime hominis naturę sunt simillima, ergo optima sunt nutrimēta. maior certissima est: quia natura per similia conseruatur, similia amat, & attrahit; minor declaratur: quia cum homo omnium animalium sit temperatissimus, alimenta quoque temperatissima exposcit; nam omnia, quę edit, & bibit homo, palam est, minime intemperato, ac desidenti succo participare, veluti sunt panis, mazza, & ijs similia.

Lib. de affectionib.

Ibidem.

» similia. quibus assuetus est homo plurimis semper vti, &
» rursum augmentum, & alimentum præsertim per nihil
» aliud contingit, quàm quòd probe temperatum est, & ni-
» hil habet intemperatum, nec forte, ac talia sunt prędi-
cta edulia solum ergo illa tātum conuenient: Nam ouua,
caseus, & lac, quæ & ipsa optimi sunt temperamenti, ad
carnes referuntur; illorum tamen vsus conueniens non
est calculosis, quòd gignendi calculos habeant proprie-
» tatem. secundo ad sanitatem optima sunt cibaria, quæ *Hippo. de*
» modice ingesta sufficiunt, vt fames, & sitis sint medela, *affectioni-*
» & plurimo tempore ipsa corpus suscipit, sed talia sunt *bus.*
prędicta, vt quotidiano vsu patet: ergo hęc maxime ci-
borum genera assumenda sunt. poterit tamen & per in-
terualla vti peponibus, ficubus, & vuis exacte maturis per
tempora sua, quæ vitare commodius esset. Cum igitur
è ciborum generibus, panis, caro, pisces, è potibus, vi-
num, & aqua solum calculosis conueniant, subiungen-
dum modo, qui panis, quę carnes, qui pisces, quod vi-
num, quę denique aqua illis competat.

PANIS CALCVLOSIS qualis. Cap. XXI.



Anes differunt materia, fermentatione, co-
ctura, quantitate, tempore. panem nunc
appello, qui ex tritici farina conficitur.
hæc vero vel tota colatur, sic, vt ex illa
panis fiat cum furfure; vel tota ita cribro
excipitur, vt nihil penitus furfuris relin-
quatur; vel denique ad faciendum panem farina medio-
criter furfurum participat. Est igitur panis conuenien-
tior

tior calculosis, qui magis furfuris habet; quia facilius concoquitur, & secedit: Nam (vt ait Hippocrates) panis ex tota farina per aluum secedit, prius autem ex farina pura magis nutrit, sed minus per aluum descendit. Solent tamen nunc temporis magnates hoc ipso vti, qui licet furfuraceo minus competat, saporis tamen suauitate superat, cuius ratione assumi poterit: nam vt ex Hippocrate dicebamus ex duobus cibis suauiorem accipere oportet, licet ille peior sit. Trituratur autem panes quidam vino, alij lacte, alij aqua, aut quibusdam alijs succis cum sale, & absque illo. dico conuenire calculo affectis panem, qui ex aqua subigitur, & sale conditum: aqua enim attemperat, sal saporem addit, & deijciendi facilitatem. Rursus panis alius est fermentaceus, alius autem sine fermento. Debent autem accipi fermentati: nam sine fermento rarde admodum coquuntur, tardeque descendunt, ac materiam calculo idoneam creant. Fiũt etiam penes magnitudinem, quidam parui, alij mediocres, non nulli magni. maior eligendus: magis quia humidior: nam ipsius humiditas non ita in furno consumpta est. coctura quoque differunt panes; si quidem alij sunt fornacei, alij cineficei; quidam cocti admodum, alij minus cocti. Debet autem ex ijs sumi panis mediocriter coctus in clibano igne moderato. Cum autem panum, quidam sint recentes, alij vero vetusti recentes edere oportet; quia antiqui siccitatem acquirunt, & saporem amittunt. calidi tamen nequaquam assumi debent, quia panis calidus sitim, & repentinam repletionem efficit, & tardi est transitus, non igitur secundum diem excedere debet. Sit igitur (vt in summa dicam) panis ex optima farina factus aqua, & sale bene trituratus, fermentatus, quantitate mediocris, optime coctus, recens, mollis, leuis, spongiosus. eius vero vsus non separatus à cibis, sed cum illis, nec nisi humidis intinctus

2. de dieta

Hippo. lib. acutorum.

ctus

ctus, præter panem nullum frumentaceum edulium calculosis confert, quàm ptisana.

QVAE CARNES CALCVLOSIS aptæ. Cap. XXII.



Aro familiare naturæ humanæ est alimentum, substantia, & qualitate illi simillimum; non enim eo modo fiunt ex elementis corpora, ac si dicas ex terra aqua conspersa, Soleque excalfacta continuo animal generari, sed multis interueniẽtibus mutationibus: sic & alimentum multis transmutationibus temperatum homini fit cõuenientissimum, quale est caro. Vnde Lucretius.

Sic tempestiuis ex imbribus humida tellus
Vertit se primum in frondes. & pabula læta
In pecudes, vertunt pecudes in corpora nostra
Naturam; & nostro de corpore sæpe ferarum
Augescunt vires, & corpora peni potentum

Igitur inter gressilium animalium carnes apri carnem laudat Hippocrates: est enim optimi succi, & homini quam familiaris maxime tum nutribilis, tum corroborans; sed (vt ait Galenus) glutinosum quiddam habet, & crassum; ob id qui diutius ea victitant, iecoris, & renum obstrictione corripiuntur: ideo vsus eius non continuus esse debet; sed per interualla, ac magis ijs, qui validius se exercent. Succedit huic castrati caro, quæ eo præstare videtur, quòd glutinosa non sit; ideo in hoc

morbo conuenientior, in cuius defectu agnina ſumenda. Conuenientiſſima autem eſt hedina caro, tum quòd facile ſuperetur, tum aluo ſecedat, & frigida ſit; vitulæ quoque lactentis caro haud quaquam reprobanda. Ex auium genere temperatiſſima eſt pullorum caro, & cibus in hoc affectu commodiſſimus, veluti & capi caro, pernicis, ataginis, Columborum iuuenum, turdi, & paſſerculorum, qui ſeſe exercent. Debent autem præparari carnes potius elixæ, quam aſſe; humidiores enim ſunt, ac magis aluo ſecedunt: Nam alimentum, quod aſſatur, cum pauco tempore abſoluatur coctio, non poteſt ita exteri. Iura quoque ex prędictis carnibus earum aſſumptionem pręcedant. Ouorum vero paucus vſus eſſe debet, quia hęc craſſam, & lentam gignunt materiam, &
2. de dieta facile lapideſcunt: nam oua (inquit Hippocrates) robuſtum quiddam habent, alunt, & inflant. Si quando vero aſſumantur tremula gallinarum eiuſdem diei, atque ſorbilia eſſe debent, caſeus, & lac, tamquam peſtis fugienda.

QVI PISCES CALCVLOSIS apti. Cap. XXIII.

PIſcium vſus magis conuenit calculoſis, atque omnibus calidis natura, quàm carnis, non modo quòd facile ſuperentur, ſed attemperent: omnis namque caro à prędominio calida eſt in pedeſtribus; piſcium vero caro ſaltem ratione loci humida & frigida cenſenda eſt magis. eligendi ergo ſunt ſaxatiles, ſic dicti, à locis, in quibus degunt, petroſis: alimentum enim, quod ex illis ſumitur, teſte Galeno,

non

non modo eſt ad coquendum facile, ſed hominum corporibus eſt etiam ſaluberrimum, quòd ſanguinem medium conſiſtentia generent. Sunt igitur ſaxorum piſces, ſcarus, merula, turdus, perca, phuca, cinedus, anthias, chamia, gobbio; ijs accedunt piſces mollis carnis, ſed qui minimum pinguedinis habent, vt aſellus, ſcaurus, amia, paſſer, lenguatus, hepatus, citarus. Cæterum tribus modis pręparantur piſces, aſſi, elixi, & frixi, quibus omnibus modis edi poſſunt: pręſtantiſſimus vero parandi modus eſt ex albo iure (Galeno teſte) qui ad hunc modum fit, copioſam aquam primo inijce, deinde olei, quoad ſatis eſt, infundito, cum pauco anethi, & porri, inde ſalis tantum, dum ſunt ſemicocti, inſpergito. debent autem edi calidi piſces: nam frigidi aliquando naturam veneni aſſumunt, vt docet Dioſcorides, & Cardanus in ſe ipſum expertum eſſe ait.

DE POTV QVI CALCVLOSIS *aptus*. *Cap.* XXIIII.



Conuenientia ſunt homini in potu vinum & aqua; ſed calculoſis conuenientior aquæ potus, dummodo illa ſit bona; alioqui vinum magis conuenit, veluti etiam ijs, qui ſtomachum imbecillum habent, & illi ſunt aſſueti. per ſe vero aqua commodior eſt, quia attemperat; vinum vero omne calidũ eſt, & ſiccum; vnde cauſam calculi ea ratione auget, proinde aquoſiſſimum vinum pueris calculoſis magis conuenire ait Hippocrates quòd minus venas adurat. de quo etiã verba faciẽs, inquit. Hoc vero inſuper intelligere oportet, quòd ſi aquoſum fuerit vinũ, ſupernas partes omnes,

Hippoc. 2. de dieta. De aere, aqu. & locis. Lib. acutorum.

& eas, quæ circa veſicam ſunt, minus lædet; verum par- »
tibus circa inteſtinum magis proderit, ſi meracius fue- »
rit. Cæterum vinum calculoſis aptum, album ſit colore, ſuſtantia tenui, ſapore auſtero, aut etiam acido; vina namque acida (Hippocrate teſte) frigefaciunt, attenuant, & humectant. ætate quoque ſit mediocre, longe à generatione propter muſtum? Sed dices magis probari ab Hippocrate vſum vini albi potentis, dum illius naturam deſcribens, hęc profert. At vero album, & vi- »
noſum vinum ad veſicam magis penetrat, quam alte- »
rum. & cum vrinam cieat, ac ſemper prorumpat mul- »
tum in ijs morbis profuerit: Nam & ſi ad alia incommo- »
dius ſit altero; attamen, quæ in veſica fit ab ipſo, pur- »
gatio liberat. Hęc ille. Sed non vult Hippocrates, gran »
de vinũ magis laudari ob id in calculoſis; loquitur enim de morbis acutis eo in loco; bene verum eſt, quòd vt medicamentum magis huic affectioni confert, ſed non vt alimentum, quia licet vrinas magis moueat, quàm oligopheron, magis etiam nocet ob venarum & ſanguinis aduſtionem. Aquæ vero potus laudabilior calculoſis (vt diximus) ſed optima eligenda eſt; alioqui calculi ſoboles eſt, vt ſupra diximus. Laudatur igitur inter alias ab Hippocrate, aqua pluuialis, non omnis; ſed quæ ab æthere excreta eſt æſtatis tempore cum tonitruo, quęq. per loca munda fluit: hinc fontana, quę ex loco ſublimi fluit, quæque dulcis eſt, hyeme calida exiſtens, æſtate autem frigida, cuiuſque fons eſt ad orientem. Reprobatur omnis aqua, quæ ex magnis fluuijs colligitur, eodem authore, quæque per longa locorum interualla, quæ ſtagnans eſt, aut paludoſa. Quantum enim referat aquæ bonitas ad ſalutem, patet ex eo, quòd ſemper hęc duo iungi ſolent, aer, & aqua; alterum enim alterius eſt materia; quia ex aqua per vaporem fit aer, rarefacta ipſa aqua; ex vapore denſato, ſeu ſub terra, ſeu ſupra

2. de dieta

Lib. acutorum.

De aere, aqu. & locis.

illam

illam ſit aqua. Si igitur contingat, malam eſſe aquam, malum quoque illius regionis ſtatuemus aerem; vbi vero bonæ ſunt aquæ, bonus quoque aer adeſt, ibique homines diutius viuunt, fœcundique ſunt admodum. Color eorum viuidus, vires robuſtæ, dentes firmi, ac pulchri, nulla adeſt podagra, aut rara nimis, nullus hydrops, nullus cachochimus, quantum in ea ipſa regione eſt. Optima igitur aqua expers ſaporis eſt, guſtu tamen ſuauis, nullius odoris, pura, clara, leuis, cito deſcendit, & corpus permeat, ex qua nil in fundo ſubſidet, pota palatum non adſtringit, effuſa ſtridet, legumina facile in ea coquuntur, ac macerantur, facile alteratur, cuius fons ſit purus, alueo ſaxoſo, minimeque lutoſo; nullum animal gignit, præterquam piſces, in cuius fontis ripis laudatæ herbæ virent. hęc aqua ſane vino anteferenda eſt, quantum ad calculoſos ſpectat. Sed cum omnis aqua (teſte Hippocrate) in vniuerſum difficilis ſit tranſitus ob natiuam frigiditatem, ideo ſaccarum, zulapium, vel mellis quidpiam admiſcere oportet. Hęc de potu dicta, ſint ſatis. Nunc ad cruditatem nos conferamus, atque doceamus, quomodo hęc euitanda ſit: ſi quidem diximus illam eſſe cauſam, ſine qua non gignitur lapis.

DE COQVENTIBUS.
Cap. XXV.



NON ſat eſt alimentum probatum genere & ſpecie aſſumere, niſi ita quantitate, qualitate, præparatione, tempore, ordineque aſſumatur, vt facile concoqui poſſit, & à natura ſuperari; non poteſt autem ſuperari à natura, niſi proportio fiat eius, quod aſſumitur ad labores; propterea quod

1. de diæta quod vt inquit Hippocrates, homo edens sanus esse non poterit, nisi etiam laboret. contrarias enim vires habent cibi, & labores; verum inter se mixti conferunt ad sanitatem: Labores enim ea, quę sunt in corpore, consumere solent, cibi autem & potus ea, quæ euacuata sunt explent. Quamobrem si inuenta fuerit ciborum, & laborum mensura ad vnamquamque naturam, inuenta sane fuerit exacte hominibus sanitas. hæc ille. Sed mensua hæc non omnino assignari potest: multa enim *3. de diæta* sunt, eodem teste, quæ impediunt, primum quidem hominum naturæ diuersæ; nam & siccæ ipsæ ad seipsas, & ad alias Colatæ, magis & minus, siccę sunt, & humidæ similiter autem & aliæ omnes; deinde ętates non eisdem indigentes; insuperq. regionum situs, & ventorum mutationes, & temporum alteretiones. Est & inter ipsos cibos multa differentia: triticum enim à tritico differt, & vinum à vino; & reliqua, ex quibus victum faciunt, impediunt, quominus impossibile sit exacte de Diæta conscribere. hæc Hippoc. Ac proinde neque nos ad vnguem id efficere valemus. Modum igitur quendam inuenire oportet, qui ad particularia postea trahi possit. Quoad quantitatem attinet cibi; illud calcu- *6. epidim.* losis primum est Hippocratis præceptum non repleri: nam, vt in adagio est, plures occidit gula, quam gla- *6 epidem.* dius, non solum autem non repleri, sed exerceri oportet: vnde illud, exercitatio sanitatis, non repleri impiger esse ad labores, quod cum alijs ob sanitatem, calculosis tamen maxime conducit proinde dicebat *Ibidem.* quiescere non conducit, sed exerceri. Cæterum laborum seu exercitiorum plura sunt genera, quidam enim *2. de diæta* ad sensus, pertinent, quæ visu aditu, cogitatione, tactu voceque fiunt; per hęc enim corpus calescit, & alimentum absumit. quidam per vim fiunt, vt luctari, fodere ligna scindere, remigare, gladio pugnare, pistil-

lo tun-

lo tundere, ſagittas eiaculari, ſchalas aſcendere, pilam ludere, venari, piſcari, palum trahere. Sunt & agitationes, & geſtationes, vt equitare, curru, lectica, cuna, brachio, aut naui vehi. exerceri autem debent calculoſi (ait Galenus, non vehementi exercitatione, ſed omni ſimpliciter agitatione, quę illorum corpus pro ętatis, habitusque, & roboris ratione exerceat. Conueniunt autem exercitia calculoſis, quia humorum copiam euacuant, & pituitoſum, craſſumque, & crudum omne ad coctionem deducunt, tenuantq ue, atque omnes corporis partes roborant. quantũ vero ad præſeruandum ſe à calculo faciat exercitium Agricolarum, exemplo patet, in quibus nullum conſpicies calculum. e contra in ſedentarijs artibus hominibus otio deditis, frequenter conſpicitur. Quantitas ergo alimenti, vt ad illam redeamus) mediocris ſit oportet, licetque potius infra ſubſtere, quam magis, quam decet aſſumere. Vitanda quoque ciborum multitudo · nam caro cum piſcibus miſcenda non eſt, veluti fugiendi ſunt varij præparandi modi; namque (vt ait Hippocrates) obſonia ex varijs intritis præparata, ęſtuoſa, & humida ſunt, propterea quod pinguia toſta. & calida & inæquales inter ſe vires habentia in eodem loco cohærent. Fugiendus item aromatum vſus, quę caliditatem augent, & venas adurunt. Cum vero triplex ſit alimenti præparatio, elixatio, aſſatio, & frictio, elixatio calculoſis aptior; aſſumi etiam poterunt, & aliquando aſſa, appetitus gratia; ſed frixa in totum fugienda: præterquam piſces. Tempus aſſumeudi cibum poſt exercitium eſſe debet: nam labores (ait Hippocrates) cibos præcedant; pręſtatque magis bis in die, quàm ſemel comedere, pricocoli enim, quales ſunt calculoſi, vt plurimum ieiunium difficile ferunt; A quo etiam corpus magis exſiccatur & calefit. in ordine ſemper à facilioribus, ac humidioribus cibis

inci-

incipiendum est. Iuuatur autem coctio quàm maxime per somnum; debent proinde diutius dormire: per somnum namque calidum roboratur, vniturque, & fortius euadit; vnde omnia concoquit, corpus humectat. Quantum vero somnus concoctioni conferat, declarat Hippocrates, dum hyeme multum alimenti exhibet, quòd somni sint longissimi. Est autem non modo calculosis vtilis somni longitudo sed ad diuturnam vitam, si quid aliud; quoniam auget calorem, qui vitæ est author, hominemque laboribus fractum reficit. Debet ideo esse non minor nouem horarum, lectum molle esse non debet; nec ex plumeis cucultricibus, sed ex alga vel sericea stuppa, vel lana, ne corpus plus nimio calescat: nec decumbendum supra dorsum, vitanda omnino venus, quę tanquam pestis in hoc affectu fugienda; quia partes debilitat, cruditates auget. Sed de coquentibus hęc satis. Nunc ad efficientem causam veniamus, quæ attemperationem postulat.

DE ATTEMPERANTIBVS. Cap. XXV.



CVm caliditas, & siccitas hepatis, nec non reliquarum partium, causa efficiens lapidis statuantur, contra illas pugnandum, ac omni ratione corpus refrigerandum. ad quem vsum lactis serum assumptũ maxime laudatur per plures dies post purgationem: refrigerat enim, vrinas mouet, & aluum. ex illis, quę assumuntur, lactuca, portulacha, cicorium, oxalis, intibum, refrigerandi vim habent. Laudatur etiam succus cicorij, & sonci, cum modico sachar o ieiuno stomacho

macho pluries exhibitus. aceti, & succi limonum assiduus vsus; aquæ potus per interualla etiam ijs, qui vinum assumere assueuerunt. humectandum interim & corpus per assumptionem Iurium, oleorum, nec non per vsum clysterium ex puro oleo. Quod remedium maximum est in præseruando. Ab extrinsecis, humectant, & refrigerant balnea aquarum dulcium modice calefactarum; nec non balnea quædam thermalia refrigerandi vim habentia, vt est balneum de aquis Pisanum; ac lucensis balnei. Vnguenta item refrigerantia, qualia sunt santalinum, rosaceum, populeon, fotus item assiduus ex calida aqua, in qua decocta sit malua, rosa, viola, cicorium, portulacha, parietaria: inde post fotus vnctiones. Cæterum diæta omnis imbecillis esse debet: nam (vt ait Hippocrates) imbecillis diẹta frigida, robusta vero calida; quia imbecillia vitæ studia, cibi & potiones frigidum animal reddunt. Leues igitur corporis motiones, & cibi, qui neque validum habent odorem, neque in gustu, qualitatem, quæ valida sit; vel aciditatem, vel dulcedinem, vel salsedinem, vel amaritudinem, aut acerbitatem, aut acrimoniam, sed qui mediocriter gustu dulcescant, & iustam pręseferant adstrictionem vel caliditatem pariter exiguam. Magnæ vero motiones, & cibi, qui odorem validum, aut saporem vehementem habent, robusta dicuntur. per imbecillem igitur diætam refrigeratur dupliciter corpus; tum quia attenuatur, tum etiam quòd à contraria alimenti qualitate attemperatur. Sed & vestium cura, & operimentorum esse debet, vt quam minime ex illis calescat. Noui enim aliquos, qui dum præter consuetudinem stomacho pannum gestare inciperent, statim illis hepatis excitata est caliditas: vnde arenulæ promanarunt; cum prius tale quidpiam numquam sentirent. Conuenit autem (Hippocratis consilio, his naturis, quæ caliditate

acri abundant, dormire in loco frigido, quo aerem inſpirent talem, ac refrigerentur; Cubile igitur frigidum ſit oportet, non ſolum quoad culcitra, ſed & pallia, quæ ex ſyndonibus denſis, ac cętera, quæ eiſdem rationis operimentis, parantur. Hæc de attemperantibus. Nunc de ijs, quæ aluum mouent, agendum: Nam ſiccitas alui cauſa erat, ſine qua calculus gigni non poteſt: vt diximus.

DE JIS QVAE ALVVM MOuent. Cap. XXVIII.



ALuus igitur quotidie, aut ſaltem alternis diebus emollienda, tum per clyſteres, tum per glandes; poterit autem adhiberi clyſter tertio quoque die, glans vero quotidie: in hoc enim fere tota pręſeruationis ratio conſiſtit. ex ijs, quæ per os aſſumuntur, tum alimentis, tum medicamentis ad hoc negotium petenda auxilia. Caſſiæ igitur vnc. ſingulis quindecim diebus aſſumenda, cum aliquantulum terebintinæ lotæ, & ſaccari: poterit & deguſtare per interualla rabarbari ſcrop. 1. aut alterum, aut mannæ vnc. 2. vel pulueris foliorum ſenæ drach. 1. ex iure capi, caſtrati, aut pulli. ex alimentis; paſſularum, & prunorum coctarum vſus aluum mouent. Sed hæc cibos illorum pręcedant. libet autem apponere, quę ad emolliendam aluum ſcripſit Dioſcorides.

Ex Dio-

Ex Dioſcoride ad aluum emolliendam, citandamque.

CEraſia recentia manducata.
Pruna in cibis ſumpta.
Siliquæ deuoratæ.
Fici maturę deglutitæ.
Lac ficulnium potum.
Chamarum piſcium ius potum.
Vnguis odoratus ebibitus.
Raphanus comeſtus.
Beta alba deuorata.
Blitum comeſtum.
Rumicis cuiuſq. decoctũ potum, quin & ipſa herba deuorata
Malua in cibis ſumpta.
Atriplex manducatum.
Braſſica leniter feruefacta, comeſta.
Lentis decorticatæ decoctum porum.
Aſparagorum cauliculi in cibum accepti.
Cucurbitæ integrę feuefactæ expreſſus ſuccus potus.
Zinziber quoquo modo ſumptum.
Peucedanum potum.
Scillæ ſiccę coclearium vnum aut alterum ieiunis datum.
Androſimi ſemen tritum potum.
Helcinei foliorum ſuccus hauſtus.
Papaueris erratici ſemina.
Acetabuli pondere ex mulſa pota.
Cinogloſſi decoctum hauſtum.
Cameſues rami decocti in cibum ſumpti.
Brioniæ cauliculi recentes cocti, & in cibum deuorati.

Hæc habui, quę de calculorum remedijs proferrem, in quibus, ſi quid boni continetur, id totum Deo Opt. Max. acceptum refero, cui ſit ſemper laus, honor, & gloria.

FINIS.

Regeſtum.

a A B C D E F G H I K L M N O P Q R S.

Omnia ſunt folia prẹter S, ſemifolium.



R O M Æ.

Apud Titum, & Paulum Dianum fratres.
M. D. LXXXVI.


RODERICI A FONSECA
LVSITANI OLYSIPPONEN.
Medicinam in Pisana Academia
publice profitentis,
IN HIPPOCRATIS LEGEM,
commentarium,
Quo perfecti Medici natura explicat
AD
ILLVSTRISS. ET REVER.
PRINCIPEM
Ferdinandum Mediceum S.R.E.
Cardinalem ampliss.
SVPERIORVM PERMISSV.
ROMAE
EX
TYPOGRAPHIA
Titi & Pauli
de Dianis fratru.
CIↃ.C.LXXXVI.



ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO PRINCIPI Ferdinando Mediceo S. R. E. Cardinali amplissimo.



RODERICVS A FONSECA.



IMVLATQ. FERDINANDE Princeps Cardinalis Illustriss. Francisci Medices Magni Aetruriæ Ducis, fratris tui omnibus virtutibus clarissimi grandi beneuolentia, & summa cum liberalitate in hac Pisana Academia ad Medicamfacultatem publice profitendam, sum promotus. illico excitatus est animus, aliquid in

publicum ædendi, vt si nihil aliud, saltem testimonium præberem eius, quam suscepe ram, vitæ rationem minime otiosam, atq; vacantem. Occurrit inter cætera lex Hippocratis Medicis præscripta, breuis illa quidem, & verborum serie compendiosa; sed multa, magnaque, & scitu dignissima amplectens (continet enim quæcunque ad veram Medicinæ cognitionem desiderari possunt.) Hinc nacta occasione eam ipsam legem commentario illustratam, vt tuis auspicijs in publicum iret, curaui PRINCEPS optime sæculi nostri decus, & ornamentũ, quo tuo fauore, & gratia commendata ad artis nostræ studiosos perueniret. nullus enim est inter Heroas ac Principes præclarissimis alioqui dotibus insignitus, cui tu vel anteferendus non sis, aut quo cum de virtutum numero contendere non possis. Admirantur namque omnes istam tuam sapientiam celeberrimæ familiæ tuæ, magnique Patris hæreditariam, quæ ita lucet in benigno isto tuo vultu, vt nemo sit, qui te diuinitatis cuiusdam participẽ non iudicet.

Ad-

Admirantur recondita illa animi tui excelsi, & fortissimi consilia, quibus ita omnia gubernas, & componis, vt cælesti quodam numine afflatus operari videaris. Admirantur liberalitatem, pietatem, mansuetudinem, benignitatem, summam gratitudinem, & affabilitatem, quibus cæteras omnes virtutes ita coniungis, vt omnium oculos ad te conuertas, cunctorumque animos tibi concilies, quò te vnum solum colant, ament, sequantur, & venerentur. Quare fit, vt vnus sis, quem veluti exemplar, regulam, ac normam, habeant, qui inter Principes virtute, potentia, & opibus insigniores habentur sub quonam igitur titulo prodire poterat commentarium hoc gloriosius? sub cuius auspicio fortunatius? aut cui meæ magis deberentur vigiliæ? cuiuè alteri meum insudabit libentius ingenium? sic fortissime in impios armabitur, & recipietur à probis gratius. his accedit Antonij de Fonseca Patrui memoria tibi carissimi, quem tu (tua quæ est humanitas, singularisque clemen-

tia)

tia) tuò fauore, & ſumma dignitate protegis. qui tibi ſoli viuere fatetur, teque patronum fautorem, protectorem profitetur. nunquam non prædicans Illuſtriſsimi FERDINANDI Medicei Cardinalis animum, vere hæroum, vere magnum, vere regium, humanitate, officioque, & liberalitate inſignem, ac totius orbis imperiò digniſsimum. Suſcipe igitur lætò animo (Princeps optime) hanc qualemcumque meam primam fæturam; veluti in teſtimonium obſeruantiæ, & amoris, quo te proſequitur vniuerſa Fonſecorum familia. Spero enim fore; vt hæc (licet per ſe exigua) tuo tamen celebri; & immortali nōmine vallata; & munita, multum dignitatis; & ſplendoris ſint adeptura. Vale diu felix.



RODERICI A FONSECA
IN HIPPOCRATIS LEGEM COMMENTARIVM.



VICVNQVE munus aliquod suscipit obeũdum, duo maxime in mentẽ habeat oportet; alterum scilicet, quo consideret quid sibi est faciẽdum, alterum vero, vt rationem perpẽdat, qua illud efficere valeat. Cum igitur munus nostrũ in præsenti sit Hippocratis legem exponere, ideo dicendum est quæ, & quot illa sint, quæ explicanda proponuntur, ac insuper ratio indicanda, qua singula exponenda sunt. Numerus explicandorum à fine nobis proposito elicietur, quem in memoriam reuocare propterea est opere pre-

Lib. 1. ar. Medicæ.

tium, nam à fine, vt docet Galenus omnes artes, ac scientiæ constituuntur, & omnia certo quoddam numero comprehenduntur. Explanare igitur est in animo Hippocraticam legẽ, in qua conditiones omnes ponũtur, quæ ad veram medicinam assequẽdam sunt necessariæ. Quare docere oportet omnia illa, quæ ad illius perfectam notitiam desiderantur: Hæc vero in duplici sunt differẽtia quædã enim ad vniuersam medicinæ naturam spectant, quædam vero ad hanc nobis propositam tractationem, atque hæc rursus bifariam secare oportet alia namque toti tractationi cõmunia, quæ Prolegomena græcis, latinis vero prædicenda dicuntur, continet, alia vero in singulis huius tractationis partibus exponendis consistit. Ex fine igitur nobis proposito, iam certus docendorũ numerus conflatur, agendum enim est illi qui legem medicam sibi exponendam proponit de illis, quæ toti medicinæ sunt communia, & de illis, quæ huic legi conueniunt, seu communia, seu peculiaria sint, ac postremo ratio explicanda, qua singula tractari possint, quibus explicatis nil amplius ad hanc rem absoluẽdam relinquitur. Cum igitur de ijs dicendum sit, se-

quitur

quitur, vt indicemus, à quo ſit auſpicandum, & in quo ſit deſinendum, vt ordine, & non temere procedamus: nam vbi ordo adeſt, omnia inter ſe arte certa cohærent, ac priora ſequentibus lucem afferunt, vbi vero ſine ordine loquimur, omnia obſcuriora redduntur, confunduntúrque: dicet quidem de eiſdem rebus artis ignarus, & doctus, ſed cũ ignoret ille quid primum, quidue deinceps poni debeat, corrupto ordine inſcitiam ſuam prodet, hic vero ſeruata rerum ſerie, & omnibus ſuis locis poſitis quam habet ex arte facultatem, omnibus admirabilem reddet. Cum igitur dicendum ſit quid ex propoſitis primo loco poni debeat, iam id explicare aggredior. Poſtulat autem docendi ratio, ut ab vniuerſalioribus ad minus vniuerſalia pergamus: Quare primo loco collocare oportet, quæ ad vniuerſam medicinam, ſecundo vero loco, quæ ad hanc tractationem nobis ſuſceptam attinent, ſunt tamen vniuerſalia: tertio quæ ad particularem ſingulorum tractationem referuntur, ſed quoniam in textu Hippocrates medicinæ meminit illam artem præclariſſimam prædicans, ideo hæc, quæ alioquin prima pars eſſe deberet ad eum locũ

Ariſto 1. phyſicor.

relegamus, secundam aggredientes, quæ huic operi communia continet, & ultimo loco singulas Hippocratis sententias explicabimus, verum cum nullum ex prædictis recte doceri, vel explicari poßit, nisi rationem quãdam habeamus, qua id commode præstari poßimus, ut à principio dictum est de hac vel in primis nobis dicendum.

Cæterum docendi ratio multiplex esse solet, aliqui enim probabiliter de qualibet re disputant, non quod verum, sed probabile potius sit curantes, alij omnia in quæstiones vertunt logicas nihil ad rem attinentes, alij authoritatibus docent, alij velut Historici rem sine ulla ratione simpliciter narrant, alij denique methodo res exponunt, quam docendi rationẽ cæteris reprobatis sequi oportet eũ, qui in aliqua facultate excedere vult: nam qui methodo docet, non amplius infinitis eget, sibi omnia inuenire valẽs: est autem hæc methodus, via, ars, ratioque agendi quidpiam. ex cuius quidem nominis ethymologia plures methodi definitiones ellicere possumus, prout diuersa sunt illa, quæ quispiam sibi proponit agenda: qui enim inuẽtionem quærit, methodum dicet esse

Gal. lib. de constit. ar. Medicæ.

Gal. in trasibulo.

viam, ac rationem recte inueniendi, qui adiscit addiscendi, qui vero docet docẽdi, de qua maxime nunc intendimus loqui: qui autẽ per hanc methodum res explicare auet, rationem, & artem quandam habeat oportet, qua id recte efficere poßit, quam sane habebit ille. qui ita cũ ratione res disponit, & vno posito principio, & quæ deinceps sequuntur exponendo vsque ad vltimum perueniat, quod vtique faciet, si primo quid quo nomine, quo vsurus est significetur, explicet, postea vero definiat, deinde diuidat, postremo vniuscuiusque partis, proprietates explicet: Methodo igitur docet qui nomina primũ obscuriora explicat: deinde definitione circũscribit, postea diuidit vsque ad infimas species, postremo cuiusque partis proprietates explicat: quæ methodi ratio perticularis dicitur: quia huic vel illi rei peculiariter inseruit: sed est & alia methodus vniuersalis quam doctrinam ordini inherentem appellat Gal. quæ vniuersalẽ respicit tractationẽ aliquam. quã vtrãuis methodum pro virili seruaturi bona frõte rem aggrediamur. Prolegomena sic dicta sunt, quod ante alicuius tractationẽ exposita, doctrinã postea lucu

Gal. 1. methodi.

len-

lentiorem reddant, hæc enim certo numero cō-prehendi non possunt, sunt enim aliquādo plura, aliquando pauciora pro diuersitate rerum explicandarum: placet autem illa hic solum apponere, quæ ad institutum nostrum sunt accomodata: ea vero octo sunt, libri scilicet author, inscriptio, subiectum, intentio, vtilitas, ordo, diuisio, & procedendi modus.

Autor. *Et quod ad Authorem attinet, controuersum non est eum fuisse, magnum Hippocratem Coum, quod ex sententiarum grauitate, breuitate, & loquendi modo facile comprehendi potest, quinimo eorum quæ hic dicuntur pluries paßim in alijs eius operibus mentionem facit, vt postea patebit. Quis vero hic Hippocrates fuerit, quantumque doctrina, & ipso medendi vsu valuerit, tum ex Sorano, qui illius vitam narrauit, tum ex monumentis, quæ scripta reliquit, facile est videre, in quibus sane non iam Hippocrates, sed natura ipsa loqui videtur: ac vt cætera taceā, quid præclarius scribi, aut excogitari poterat, quam Aphorismorum diuinum illud opus ac prognosticum? in quibus non humano ingenio cogitationes sed penè cœlesti, oracula inuenta ad mortalium*

salu-

ſalutem ſunt repoſita. Quare eo ipſo homine vix ſtatuo aliquid fieri potuiſſe diuinius, vt ſi quælibet alia ſcripta cuiuſcũque quantumuis docti cum ijs, quæ ab Hippocrate ſunt conſcripta, comparare velles, eam proportionem ad illa ſint habitura, quæ pueri ad virum eſſe ſolet: quo factum eſt, vt illum Gal. optimum diſciplinarum patrem, fautorem, & inuentorẽ prædicauerit, eumque Aeſculapij gloria digniſsimũ iudicauerit, atque ante ipſum Plato in indaganda rei natura veluti præceptorẽ ſibi comparauerit, methodumque pro animæ eſſentia cognoſcenda, ab ipſo ſibi vſurpauerit. Cuius etiam Hippocratis Celſus Romanus cũ magna laude meminit, dum ait: Hippocrates Cous primus quidem ex omnibus memoria dignis ab ſtudio ſapientiæ medicinam ſeparauit, vir, arte, & facundia inſignis. Cum igitur tanti viri opus explicandum propoſuerimus, dignum certe eſt, qui omnes medicinæ ſtudioſi eum non modo legere, ſed ediſcere debeant. veriſimile eſt enim multa profecto illa quidem magna & ſcitu digniſsima in hac tractatione contineri, eoque præſtantiora, quo in fronte omnium ſuorum operum eam collocauerit, ac

In Phædro.

In probemio.

veluti

veluti legem medicis præscripserit.

Inscriptio *Cæterum, vt ad inscriptionem veniamus, inscriptio, nil aliud est, quam nominis impositio, qua aliqua tractatio, seu volumen cir-*
1. periher. *cumscribitur, & quamuis nomina secundum placita rebus imponãtur, nõ tamen proptcrea id ita libere faciendum est, quin à rebus proprietas capiatur, cuius rei author est Hippo-*
Lib. de arte. *crates: arbitror sane ego (inquit) etiam nomi- „ na artibus ex speciebus imponi, nomina enim „ lege quaddam naturæ indita sunt, quare & „ ipsa inscriptio nomina postulabit, quæ ad rem describendam referantur, & cum varia possit esse talis relatio, varij propterea scribendi modi reperiuntur, aliquando enim libri ab ordine inscribuntur, quales Metaphysicorum sunt, eo quod post naturales legi debeant, rursus & ab inscribẽdi modo nomina quoque imponi solent, ob quam rationem physici sunt inscripti auditorij. propterea quod in illis ea cõtineantur, quæ attentionem, vt intelligantur requirant, qua etiam ratione libros Aphorismorum conscripsit Hippocrates, quòd scribẽdi modus esset multa paucis verbis comprehendere: sunt etiam inscriptiones à loco, vt*

Me-

Metheora quòd eo diſputentur quæ in ſublimi fiunt, denique à rebus, quæ pertractantur, nomina doctrinis imponuntur, quæ maxime omniũ propria & cõmuniſſima eſt inſcriptio, per quam Hippocrates omnes ſuos penè libros conſcripſit, in quorum numero hic eſt, qui idcirco de lege inſcribitur, eo quod de medica lege in eo habeatur ſermo.

Ex inſcriptione igitur patet quod nam ſit illud in hac tractatione propoſitum ſubiectum contemplandum, eritque illud lex medica, cuius omnes partes, & proprietates exponuntur. Poſtulabat autẽ à nobis docendi ratio, vt quid ſubiecti nomen ſignificaret & quotuplex illud eſſat exponeremus, ſed hanc rem ad eum locũ Ordo. *differimus, in quo de totius medicinæ ſubiecto eſt agendum.*

Intentio ſeu ſcopus, aut finis quẽ ſibi proponit in hac tractatione Hippocrates, eſt legem medicam explicare, & per conſequens omnes illas cõditiones ſine quibus nullus ad medicinã ingreſſus eſſe poteſt: eſtque id officium Hippo- In Gorgia. *cratis peculiare: nam ſicuti leges præſcribere maximorum eſt hominum, cuiuſmodi ſunt Põtifices, Imperatores, ac Reges, ſic medicam le-*

gem cōstituere Principi medicorū Hippocrati soli conuenire videtur, quippe qui solus & doctrina, & in artis operibus omnes superauerit ac propterea vera medicinæ fundamēta cognouerit. Si vero vtilitatem spectes, quæ ex hoc paruo libello resultat, ea sane tanta est, quāta illius necessitas, quemadmodum enim milites ad pugnam, nautæ ad nauigandum, agricolæ ad rustica, & quælibet alia ars conditiones requirit, sine quibus recte nihil operātur, ita nec medicus salutem vnquam producet, nisi quibusdam prius sit insignitus, quibus veluti fundamentis eam assequatur: sed quæ ista sint & quot, in hoc tractatu explicantur, quæ licet breuibus admodū verbis sint cōprehensa, tam multa tamen virtute continent, vt non paucis, nec facile possint explicari: hæc.n. vniuersæ medicinæ sunt principia, & principiorum illud proprium esse solet, vt mole licet parua videātur, virtute tamē magna, imo maxima, existant. Cum.n. liber hic sit veluti lex eas vtilitates in se comprehendit, quas leges comprehendere solent, quemadmodum.n. legibus obseruatis omnia in ciuitate seruantur, pax, & tranquilla vita resultat, omnisque remouetur iniuria, il-

Vtilitas.

lis autem corruptis, omnia corruunt, ita in medicina contingere solet seruata.n. hac lege medica hominis valetudo cōparatur qua nil præstantius reperiri potest, & medicus præclaram famam cæteraque sibi vitæ cōmoda comparat, at illa corrupta pro salute mors homini accedit, & medicus infamis, infamisq. medicina redditur: atque vtinam principes veluti cæteras, ita legem hanc seruandam statuerent, neminemque ad medicinam admitti iuberēt qui huius legis conditiones in se nō habuisset, quod si fieret: non quiuis quātumuis indoctus ac rudis, medendi libertatem sibi vēdicaret, vt fit, vnde omnia calamitatis plena cernuntur. Sequitur explicādus ordo, & primo quē hæc tractatio ad cæteras medicinæ partes habet, secundo ordo, quē huius tractationis partes inter se obseruant, sed prius quid ordo, & quotuplex sit explicemus. est igitur ordo, ratio, & proportio in rebus, non tamē quælibet, sed illa, quæ est prioris ad posterius, cuius tanta est vis, vt rerū omnium essentiam Plato in eo consistere arbitratus fuerit: est vero duplex, alter accidentalis, quo aliquid primum, vel secundum ponitur, nulla habita ratione ad id quod prius vel po-

Ordo.

In Gorgia.

ſterius collocari debeat: alter eſſentialis quo aliquid primum, vel ſecundum ponitur, idque recta prioritatis obſeruata ratione, qui eſſentialis ordo bifariã adhuc ſeccatur, alter.n.dicitur ordo naturæ, quẽ ſcilicet natura ſemper obſeruat, eſtque ille à cauſis ad effectus, & à principijs ad principiata, ſeu ſimplicibus ad cõpoſita: alter vero eſt ordo doctrinæ, qui in eo cõſiſtere videtur, vt ab eo auſpicandum ſit, quod prius in cognitionem venit, propterea ſcientiæ modo naturæ ordinem obſeruant, modo oppoſita ratione procedunt. Cogimur.n. aliquando ordinem naturæ inuertere ob intellectus noſtri imbecillitatem, qui cum non poßit ea, quæ ſuapte natura ſunt nota, intelligere, ſenſitiuã ſequens cognitionem, à ſenſibus exorditur. Cæterũ hæc tractatio tum ordine doctrinæ tum etiã naturæ ſibi primum locum vendicat inter cætera medicinæ volumina: nam quæ hic continentur, veluti cauſæ ſunt, ſine quibus medicina comparari nequit, quæ itidem hic conſiderantur, ſtatim in mentem medici veniũt, facilemque ad medicinam aditum parant. ordo aũt rerum quæ hic tractantur, naturæ eſt, cum primo loco illa explicentur, quæ ſuapte natura

talem obtinent gradum. Ad diuisionem accedentes quid sit diuisio, et quotuplex prius explicabimus. est igitur diuisio, ratio, qua totum aliquod in suas partes distribuitur, quæ multipliciter fieri solet: aut enim est alicuius nominis in sua significata, aut alicuius totius in partes, aut communis in minus cōmunia, aut subiecti in accidentia vel è contra. hic vero eā intendimus, quæ alicuius totius est in suas partes: Tota igitur hæc tractatio in tres partes secatur, in quarum prima medicorum ignorantiam accusat, in secūda omnes ponit conditiones quibus medicus insigniri debet ad veram medicinam assequeadam, in tertia earum explicationem adhibet. Procedendi modus à fine, ac resolutiuus esse videtur ad hūc modum, medicina omnium artium est præclarissima, ergo inter cæteras artes est addiscenda præcipue, (facit enim medicos præclaros & immortales). sed eam assequi nemo potest nisi quibusdam conditionibus sit præmunitus, ergo illas in primis explicare oportet, atque hæc satis sint dicta vt legentis animus ad futuram doctrinā disponeretur, iam igitur tractationem aggrediamur.

Diuisio.

Modus procedēdi

Tex.

Tex. Medicina omnium artium prȩclarissima est.

PRoponit Hippocrates statim medicinã artem esse omnium aliarum artiũm nobilissimam, quo magis accendat homines ad illam perdiscendam, quare nostri instituti est rationem adducere, qua hanc medicinæ nobilitatẽ cõmode explicemus, id vero nec melius nec exquisitus fieri potest, quam per ipsius medicinæ essentiam, ideo illius naturam prius indagare oportet, quo id quod intendimus facile assequi valeamus, atque hoc illud erat quod à principio secundo loco examinandũ proposuimus. perfectam igitur medicinæ cognitionẽ quærentes, omnia de illa inuestigabimus, quæ de vnaquaque re quæri solent, comprehenduntur autẽ illa 2.post.c.1. *numero quaternario, vt scripsit Arist. vel. n. quærimus de re ipsa an sit, vel quid sit, aut propter quid, aut denique ipsum quia est, quibus nõ exacte cognitis medicinæ non potest haberi perfecta cognitio, quẽadmodum illis absolute ex-* Arist. ibid. *plicatis recte cognoscetur. Nam quæ quærũtur numero sunt æqualia his, quæcunque scimus. sed quoniam ordinẽ seruare promisimus ideo iudicãdum est quid primo loco poni debeat, &*

quid

quid deinceps sequatur. Quod igitur primũ se nobis quærentibus offert, ac venit in mentem, est vtrum medicina sit, qua reperta, quid sit, ad cuius sane quid est cognitionem, tum ipsum propter quid, tũ ipsum quia est, manifesta fiẽt: nam idem est, quid est & propter quid, & quicunque habet ipsum propter quid, omnium accidentium rationẽ reddere potest in quibus ipsum quia est consistit: Quæremus igitur vtrũ medicina sit, non quod nos lateat principia nulla probatione indigere, cuiusmodi est medicina medico, sed quoniam ad id nos compellit nõnullorum opinio, qui medicam artem vanam prorsus esse, ac fortuito operantem persuadere nixi sunt, ideo eam esse demonstrabo, quod fecisse Hippocratẽ nemini dubium est. Iam igitur rem aggrediamur illud in primis prænotantes, quod omnis quæstio duas partes ex necessitate sortitur, alteram quidem, quam supponere, alterã vero quam quærere oportet. Cum igitur quæramus an medicina sit, indicare oportet quid sit supponendum, hoc autem erit, quid medicinæ nomine nobis significetur, omnis .n. quæstio ipsum quid nominis supponit, nec vnquam tale quidpiam in controuersiã vertitur:

Ibid. Aristoteles.

Lib. de arte.

dici-

dicimus igitur, medicinæ nomen significare facultatem quãdam, qua morbis medetur à medendo .n medicina dicta est, & medicus sic appellatus est, quod morbis medeatur, nec inconuenit si alia reperiatur medicinæ pars, quæ in sanitate seruanda versetur: Nam nomen illi inditum est à nobiliori, ac præstãtiori parte, qua significatione Hippocrates medicinã accepit, dum ait medicinam esse morbos ab ægris in totũ tollere, & morborũ impetus vehementes obtundere, eorum vero qui à morbis victi sunt curationem non aggredi, licet autem medicina ab ea parte quæ morbis medetur sit nũcupata, sub ea tamen comprehenditur & illa pars quæ sanitatem tuetur, & proinde salubris appellata. hanc igitur nominis significationem assumentes, quam & qui medici sunt, & qui medicinæ sunt ignari concedunt iam ipsam esse demonstremus. medicina morbos tollit ac sanitatem restituit, ergo medicina est, antecedens ex ipsius nominis ethimologia desumitur, consequens est verum: nam si aliquid efficit ergo est. omnis .n. effectus ad suam causam reducitur, omne .n. quod fit, propter quid fieri comperitur, spontaneum .n. nullam sub-

lib. de arte.

lib. de arte.

stan-

tiam habet, sed nudum tantum nomen: Quod si adeo fuerit pertinax aduersarius, vt sanitatē quidem ægris aduenire affirmet, non tamen id à medicina prouenire, ac falsam esse illam, quam attribuimus significationē, nos idpsum ita probare aggredimur. Quicumque sanatur ob rectum vsum eorum quibus sanitas comparatur fit sanus: sed medicina rectum vsum eorum docet, ergo medicina est causa sanitatis: maior ex se est manifesta, minor probatur: Hipp. lib. de arte.
" nam qui ex morbo conualescit, vel inedia, vel edacitatæ, aut vberiori potu, aut siti, aut balneis, aut illuuie, aut laboribus, aut quiete, aut somnijs, aut uigilia, aut his omnibus simul vel separatim, aut ob aliam quamlibet causam cōualescit: nec sanari potuit his quomodocunque adhibitis: sed recta ratione comparatis: at medicina rectum horum omnium vsum docet: ibidem.
nec enim illud nobis negotium facessere potest quod multi sine medico sanitati fuerint restituti, propterea negandum medicinam esse causam sanitatis: nam vt docet hippocrates, id si li. de arte.
" quandoque cōtingat, ita fit vt qui medicis vsi non sunt in medicinam incidant, non tamē vt sciant quod in ipsa rectum fuerit, & non rectū

*alioqui cōtigiſſet, vt ſeipſos eodem pænitus mo- "
do curaſſent, quo curati fuiſſent ſi medicos ad- "
hibuiſſent, & hoc tandem magnum ſignum eſt "
eſſentiæ ipſius artis, nempe artem eſſe & qui- "
dem magnam, quando ſanè etiam hi, qui eam "
eſſe non putant per ipſam ſeruati apparent: eſt "
igitur medicina, qua poſita iam quid ſit inda-
gare oportet: medicinam diximus eſſe faculta-
tem quandam, propterea videndum eſt, quid
facultas ſit, & quotuplex, & qualis denique fa-
cultas medicina ſit. Eſt igitur facultas princi-
piū quoddam operandi, quod duplex principiū
eſſe poteſt, alterū .ſ. ad ſimpliciter operādum:
alterum vero ad benè operandum, quod exem-
plo ita explicari poteſt: dicimus ruſticum prin-
cipium habere, vt benè, ac malè cognoſcat, &
operetur. at doctus & artifex aliud habet prin-
cipium, vt benè, ac perfectè cognoſcat, & ope-
retur: primum illud principium dicitur poten-
tia naturalis, poſterius vero habitus: cum igi-
tur dicimus medicinā facultatem eſſe, non eā
quæ potentiā naturalis intelligere oportet, ſed
quæ habitus dicitur: nam ruſticus facultatem
habet ad medendum ſimpliciter, & benè, &
malè: ſed medicus habitum habet, vt benè*

Ariſto. iu prædica. capit. de qualitate.

medea-

medeatur: propterea per primam illam poten tiam naturalem non dicitur artifex, ſed per habitum: Medicina igitur eſt habitus: dicitur habitus qualitas difficile mobilis à ſubie cto: qui habitus in duplici eſt differenita, quidam enim ad animam pertinet, qui ab anima originem, vel in anima ſedem habet, propterea habitus animæ dicitur: alius verò quod præcipuè ſit ĩ corpore vel ad aliquã operationẽ corpoream dirigatur, corporeus habitus nuncupatur: Medicinam autem cùm habitum eſſe dicimus, non corporis: ſed animæ intelligere oportet: ipſa enim ex cognitione operatur, quare in anima ſedem habet: ſed vlterius pro grediendũ eſt: Habitus animæ numero quinario comprehenduntur ſapientia, ſcilicet, in tellectu, ſcientia, prudentia, & arte: quare videndũ eſt quis natura ex his habitibus ſit medicina: ac vt in hac re Hippocratem conſu lamus, ille in hac tractatione, illam modo artem, modo ſcientiam appellat, & primo eã artem vocat, dum ait Medicinã omnium artiũ præclariſſimã eſſe, ſcientiam verò cum dicit quiſquis.n. medicinæ ſcientiã ſibi rectè cõpara re volet, &c. Quare & nos vtroq. noĩe medi- Ariſtot. 6. Ethic.

cinam comprehendemus, cum distinctione tamen, vt quando scientia dicitur cōmuniter, cũ vero ars propriè intelligatur est enim ars habitus recta ratione operans, talis autem est medicina vt docet Hippocrates per hæc verba, (li. de arte.)
» quæ enim profuerunt in Medicina obrectum
» vsum profuerunt, quæ verò nocuerunt, ob id
» quod non rectè vsurpata sunt, nocuerũt: atque
» vbi rectum & non rectum vtrunqne suum fi-
» nem habet, quomodo quis hoc artem esse neget.
» Hoc enim artis expers esse dico vbi neque re-
» ctum, neque non rectum aliquid existit quare propriè medicina ars est: cum autem tum ars, tum scientia in aliquibus communicent, eo fit, vt vtraque facultas vtroque nomine appellari possit: conueniunt enim quia sicuti per scientiam speculatiuam res cognoscimus, & de ipsis iudicamus, ita & per practicam: sed differunt, quoniam finis scientiæ veritas est, artis autem operatio: (Ar. 2. metaph.) medicina igitur communiter scientia est ars vero propriè, quoniam ad operationem dirigitur: at omnis operatio duplex esse censetur, alia enim dicitur actio, alia effectio est autem actio operatio immanens, nec in materiam exteriorem trãsiẽs, veluti tristari,

sen-

ſentire, effectio vero operatio eſt in materiam exteriorem tranſiẽs, vt ſcribere, & edificare, cum vero medicinam dicimus propter operationem eſſe, operationem intelligere oportet effectiuam: ideo medicinam artem eſſe dicimus, non exactiuarum genere, ſed factiuarum: Cæterum factiuarum artium: aliæ quidem opus efficiunt, ſeu illud antea fuerit factum, ſeu nõ, vt ædificatoria, quæ & domos nõ prius factas, ac funditus euerſas rurſus efficit, aliæ vero non opus nouum faciunt ſed circa opus factum verſantur, vt ars illa eſt, quæ pãnos laceratos, aut calceos refficit: aliæ denique ſunt artes, quæ vtrunque faciunt. Cum vero artem factiuam poſuerimus medicinam, videndum eſt in quo factiuarum genere contineatur, prima quidem fronte rem craſſa minerua conſiderantibus videbitur medicina ex earum genere eſſe quæ vtrunq. præſtant opus quidem de nouo faciunt & circa illud aliquid moliuntur, pars enim quæ morbos curat ſanitatẽ quæ prius non aderat de nouo facere videtur, illa autem quæ ſanitatem tuetur circa factum opus nempe ſanitatẽ operari apparet, ſed ſi eam exactius introſpiciemus vniuerſam medicinam in eo fa-

ctiuarum

ctiuarum genere collocabimus, quæ circa opus factum versantur, nam sanitatis conseruatio, & eius restitutio vnum quoddam opus est qualitate, quantitate verò diuersum: omnis nanque medicina vitia corporis corrigit: & hoc vnum illius est opus: sed quæ parua corrigit vitia conseruatrix, quæ verò magna curatrix rectè appellatur: quod apprime declarat Galenus eorũ exemplo, qui aut vestes reficiũt, aut dolia implent: Nam ei, qui vestes nimiũ laceras reficit, ac dolium ferè vacuum implet curatrix ars comparatur, illi verò qui non patitur vestem multum lacerari, nec dolium inaniri conseruatrix aßimilatur: at vtrunque idem est opus secundum tamen magis, & minus diuersum. Verum si quis etiam rem, vt oportet intelligat nulla vtique ipsi videbitur medicinæ pars conseruare. Nam nihil aliud est conseruare, quàm nihil auferre, aut minuere, qui autem reficit, aut corrigit, aliquid addit, aut demit: ideo dictum rectè est ab Hippocrate medicinam esse adiectionem, & ablationem: & profecto hæc ipsius rei veritas est: omnis enim correctio cum mutatione fiat oportet, sed tamen quia mutationes quædam adeò paruæ sunt

In Trasibulo.

Libro de flatibus.

uæ sunt vt sensum effugiant, & decerni facilè non potest an aliqua fiat mutatio dum sanitatem seruamus, aut corpus potius in eodem statu maneat, ideo ea medicinæ pars quæ sanitatem tuetur conseruatrix dicitur, vnum tamen opus, tum hæc, tum illa facit: quam rem optimè Hippocrates confirmat, dum mentionem facit eius dietæ, quam homines sibi instituere, tum in sanitate, tum in morbis: videtur enim inquit ille mihi idem modus, & vnum quoddam ac simile esse inuentum. Hic enim ea quæ natura humana sana superare non potuit incidentia & ingesta, propter feritatem, intemperantiamque: ille verò qualicunque tandem vnusquiusque affectione teneretur, vt superare non posset eadem detrahere quæsiuit, ac instituit. Quid hoc ab illo differt præterquam quod multiplicior, & variegatior, ac maioris negotij est hæc species. Non igitur conseruatio differt à curatione, vnumque idem est opus, humani corporis, s. vitia coorigere. Est igitur medicina ars factiua, nō ex illarum genere, quæ opus nouū faciūt, sed quæ circa opus factum aliquid moliuntur.

De veter. medicina

Sed

Sed ulterius progrediendum eſt, ut exactius rem penetremus diximus etenim medicinam artem eſſe, eò quod eius natura ad operationẽ dirigitur, ſed omnis operatio in materia fit ab aliquo efficiẽte & propter aliquem finẽ, videndum igitur eſt, quis ſit medicinæ finis, quæ operatio, quæ materia, quod denique efficiens, requirit autem doctrinæ ratio ut à fine incipiamus: finis eſt cuius gratia actiones fiunt & motus, & eſt illud in quo motus, ſi nihil impediat, terminantur. Et cuius gratia omnia fiunt, nam eo acquiſito ceſſat artifex amplius operari, hic finis duplex eſſe poteſt, intrinſecus alter, alter vero extrinſecus, finis intrinſecus, qui & eſſentialis dici ſolet in aliqua arte ille eſt ad quem ars ſuapte natura ordinatur, & ob quem ſemper operatur artifex. Extrinſecus autem eſt ille finis, quem ſibi artifex proponit ultra illum primum, nos vero medicinæ finem indagantes eius intrinſecum, ac eſſentialem quærimus, ommittẽtes reliquos, qui plures eſſe ſolẽt, pro ut mens ipſius artificis ad varia trahitur finis igitur medicinæ ſanitas eſt, quæ ſanitas affectus eſt corporis naturalis ex quo actiones bonæ reſultant, quod vero talis

Ar. 1. metaph. idem de partibus anim. cap. 1.

sit medicinæ finis sic demonstrare licet: finis est ille cuius gratia actiones fiunt & motus, & in quo artifex quiescit si nihil impediat: at sanitas est illa cuius gratia fit omnis medici actio, & in qua quiescit si nihil impediat: ergo talis est finis in arte medica: maior ex natura finis petita nulla indiget declaratione: minor probatur per ea quæ docuit Hippocrates vbi docet omne medicinæ inuentum ad duo referri debere, aut ad vitam tuendam, & sanitatem conseruandam, aut ad illam restituendam, licet autem verba hic ponere: nam primum vt sanus viueret homo necessaria fuit medicina, quia non sufficit illi idem cibus & potus, qui boui, & equo veluti sunt ex terra nascẽtia fructus, & herbæ & fœnum: quamuis ego sanè (inquit) ab initio homines tali victu vsos esse putem, at cum multa & grauia ex robusto illo ac ferino victu paterentur, & doloribus vehemẽtibus, & morbis obnoxij, & breui etiam morerentur, propter hanc necesitatem, illi mihi videntur quæsiuisse victum naturæ conuenientem, & inuenisse hunc quo nunc vtimur: ex tritico igitur macerato & à cortice expurgato molitoque, ac cribrato, & subacto ac assato pa-

Hippo. de vet. med.

nem fecerunt: ex hordeo verò mazam aliaq. multa ex hoc excogitantes coxerunt, aſſarunt, & miſcuerunt, fortiaq́ꝫ & intemperata debilioribus temperarunt, effingentes omnia iuxta hominis naturam ac vires: quæ quidem fortiora eſſent ab ipſa natura nõ poſſe ſuperari ſi ingeſta eſſent exiſtimantes, ab ijs quoque dolores oriri iudicantes: contra ab his quæ natura domare poſſet alimentum augumentum & ſanitatem: quinetiam in hunc vſq́ꝫ diem exercitiorum reparandarum virium curam gerentes, ſemper aliquid amplius adinueniunt, iuxta eandem viam inueſtigantes, quod quis edens ac bibens maximè ſuperet ac ſeipſo fortior euadat. Porrò inuento huic quodnam iuſtius, aut magis cõueniens nomen quis impoſuerit quam medicinæ? quandoquidem ad hominis ſanitatem alimentumque ac ſalutem Inuentum eſt: quibus ſatis & abundè probatum eſſe arbitror vnam eſſe medicinæ partem quæ ad ſanitatem tuendam omnia conſiderat: rurſus per eundẽ authorem probandũ modo eſt: quomodo ſi quæ alia inuenit medicus ad ipſam ſanitatẽ ægrotis reſtituendam ſunt excogitata: ac ſanè inquit Hipqocrates vt mihi videtur nemo medi

cinam

„ cinam quesiuisset si idem victus & ægrotis &
„ sanis conuenisset, propterea ex ijs ipsis cibis co
„ piam detraxere & prò multis paucos statue-
„ runt: cum vero ipsis aliquando hoc ad aliquos
„ ægros sufficeret, palamque fieret quod prodes-
„ set non tamen omnibus: sed essent quidem, ita
„ habentes: vt neque modicos cibos superare pos
„ sent imbecilliore sanè quopiam tales indigere
„ illis visi sunt, sorbitionesque inuenerunt pau-
„ ca ex fortibus multa aqua permiscentes, & ro
„ bur ipsum tēperatura ac coctura detrahentes.
„ Quod si qui neque sorbitiones superare possent
„ his detraxerunt etiam ipsas, & ad potiones
„ peruenerunt: obseruaruntque vt & hæ tum v-
„ su, tum copia moderatè haberent: hæc ille: ex quibus abundè patet omnia, quæ in medicina contemplantur, aut fiunt sanitatis gratia, aut tuendæ, aut seruandæ fieri. Cum autem dicimus medicinæ finem sanitatem esse, non propterea putādum est medicum semper suum finem: nempè sanitatem assequi debere: non enim de ratione artis est vt semper finem assequatur, sed vt semper propter finem operetur.

Quod si medicus non semper sanitatem assequitur id dupliciter cōtingere potest, aut pro-

pter ægrum, aut propter morbum: quæ omnia sunt explicanda, & primo propter ægrotum, quod vel ad obedientiam pertinet, vel ad pigritiam: & quod ad obedientiam attinet, intemperantia ægri, etiam morbo existente sanabili mortis causa esse solet: quod, vt cætera omnia considerans Hippocrates eos reprehendit, qui ob morientium calamitatem artem vituperant: miror enim inquit, qua nam memorabili ratione commoti intemperãtiam quidem morientium causam non statuunt mortis, sciẽtiam vero eorum qui eam exercent accusant, tanquam sanè medici quidem ea quæ non conueniant imperare poßint: ægri verò quæ imperata sunt, transgredi non poßint: atque longè magis consentaneum rationi est ægros non posse facere quæ imperantur, quam medicos non cõuenientia iubere: hæc quoad inobedientiam: quod verò ad pigritiam attinet non mirum est si multi moriantur, quoniam tardè medicum vocent: præoccupat enim morbus medicinæ opus, præoccupat autem propter ægrorum negligentiam, differunt enim & cunctantur, atq. vbi iam à morbis ipsis apprehensi sunt tum demum curari expetunt: sed ob naturam morbi

Libro de arte.

Hipp. lib. de arte.

non

„ *non assequitur sanitatem medicus, vel quod cum sit sanabilis intelligentiam medici præoccupet antequam auxilium afferat, aut quod insanabilis sit: primus modus declaratur sic: medicus curare non potest nisi cognoscat morbum: nam si medicus sufficeret ad cognoscendum, sufficeret etiam ad sanandum: at est ali quis morbus, qui priusquam cognoscatur iam hominem vincit: vnde postea nullum remediũ admittit: sunt enim morbi in duplici differen tia alij manifesti dicuntur, qui ad superficiẽ corporis vergunt, qui cum sese exhibeant tum visui, tum tactui facilè cognoscuntur: alij ve ro sunt occulti, qui ad interna corporis vergũt ex quibus cum nullus oculis videri contingat, ratiocinatione, ac coniectura medicus ipsum prosequitur, signa petens à multis. & omnige nis rebus. quamobrem mirum non est, si æger moriatur, quod medicus cito naturam morbi obscurißimi, & difficillimi non cognouerit: tẽ pus enim requiritur, in quo tẽpore tamen aliquando æger à morbo superatur. Cæterum non assequitur medicus sanitatẽ ob morbũs suapte natura incurabilẽ: qui sunt in duplici differentia: quidam enim maximi sunt acutißimi,*

Libro de arte. 7.6.

Ibidem.

mi, &

mi, & vehementes, quique cito occidunt: in ijs, dum prorsus euicti sunt ægri, medicus auxiliares manus negat, ac solis prognosticis relinquit: alij verò sunt qui illa vehementia non affligunt, imo longo tempore durant: sunt tamē sua natura incurabiles, vt est hectica, tabes, cancer: in ijs operatur medicus, vt vitam saltem producat, cum sanitatem acquirere non valeat: quæ considerans Hippocrates, medicinam in se habere ait rationes ad ferendum auxilium abundantes: sed morbis qui corrigi nō possunt, auxiliares manus negare, aut si fortè opem ferre molita est citra culpam id facere: non enim ab aliqua arte illa requirere oportet, quæ ipsa non habet: vnaqueque enim ars sua habet instrumēta per quæ operatur, quibus semotis otiosa redditur: sic medicina tria potissimum morbis affert auxilia: alterum quidem à pharmacis: alterum vero à ferro: tertium ab igne, vnde illud, quæ medicamenta non sanāt, ferrum sanat: quæ ferrum non sanat, ignis sanat: quæ ignis non sanat, iam incurabilia prorsus existunt. Sanitas igitur medicinæ finis est, nec refert si aliquando in alio quam in sanitate quiescat puta in vitæ productione:

Libro de arte.

Hippo. 7. Apho. vlt.

nam

nam quando sanitatem præcipuuum finem nō assequitur, alium sibi proponit huic proximū, scilicet vitæ productionem: at finis est vltimū in quo quiescit artifex nisi quid impediat. nec etiam dicendum est sanitatem finem non esse medicinæ quoniam adepta sanitate adhuc operetur artifex eam, scilicet conseruando: finem enim dicimus esse illud in quo artifex quiescit, si nihil impediat: at parta sanitate, multa sunt quæ illam corrumpere possunt: propterea operatur adhuc medicus aliquid parta sanitate: nec etiam aliud vltra sanitatem pro fine medico statuere oportet: vt bonum habitū pulchritudinem, aut bonā actionem: hæc .n. sanitatem ipsam sequūtur. Sanitas igitur erit medicinæ finis ad quem finem consequendū semper operatur medicus. est autem omnis medica operatio numero quinario comprehensa, cō seruatione, præseruatione, curatione mitigatione, & restauratione: quicquid enim molitur medicus id facit vel vt tueri præsentem sanitatem, aut morbos præcauere imminentes, aut præsentibus mederi, vel simptomata lenire, aut conualescentes restaurare arte aliqua commodè poßit: hæc enim sunt medici officia,

Operatio medici.

ficia, quæ ab ipso fine distingui debent: quam rem non aduertentes multi, vix à difficultatibus in hac re se explicare possunt.

Subiectũ medicinę

Quod autem ad medicinæ subiectum attinet, videndum est prius quid & quotuplex illud sit ac indicandũ de quo sit sermo futurus: est autem subiectum illud quod alteri subijcitur, quod multipliciter dicitur: ac primo illud subiectum dicitur quod vnius est propositionis pars de qua predicatum dicitur, ac enunciatur & subiectum prædicationis dicitur: secundo illud dicitur subiectũ cui accidentia insunt, vt corpori albedo, quod subiectum inhæsionis appellatur: tertio dicitur subiectum, quod ab aliqua scientia ad contemplandũ proponitur, quod etiam demonstrationis subiectum appellari potest: quarto illud dicitur subiectum in quo ars suam molitur operationem, & vocatur subiectum in quo: quinto dicitur subiectũ, materia, qua vtitur artifex ad operandum quod vocatur subiectum ex quo, quæ duo vltima significata ad propositum nobis negotium faciunt. Cæterum medicina dupliciter considerari potest, vno quidem modo vniuersaliter sumpta, alia vero modo minus vniuersaliter:

primo

primo modo ſi conſideretur medicina, dicimus ſubiectum in quo, eſſe omne corpus quod ſanari, vel ægrotare poteſt: cuiuſimodi ſunt animalia omnia & plantæ quod ex ipſius fine probatur. Cum enim propter ſanitatem operetur medicus, ſequitur vt illud ſit eius ſubiectū in quo ſanitas induci poteſt, ſed in omni animali & planta ſanitas eſt & morbus. ergo tale corpus, quod ſanari, vel ægrotare poteſt ſubiectum medicinæ eſſe debet: quod vero animalia, & plãte ſanari & ægrotare poſſint ex eo patet, quod omnia iſta viuunt, moriuntur, & quemadmodum animalia ſuam ſanitatem & morbos, ita etiam plantæ id ipſum ſortiuntur, aut verè, aut ſaltem tranſlatione quadam. Medicina vero particularis ſuum habet determinatum ſubiectum ex illo vninerſali ſubiecto deſumptum: veterinaria enim ſeu mulo medica ſibi quadam determinata animalia ſupponit, vt equum, vel mulum, vel aſinum, aut bouē: ſic ars noſtra ſolum corpus humanum à cuius præſtantia totius vniuerſalis artis nomen ſibi vindicauit. Medicinam .n. cū dicimus, non eam ſanè, quæ circa omne id verſatur quod ſanari vel grotare poteſt intelligimus: ſed ſolum

Ariſto. in Rhetori.

E eam

eam quæ circa corpus humanũ quod in illo precipuè operatio medica exerceatur: Quare corpus humanũ medicinæ erit ſubiectum in quo: ſubiectum vero ex quo, ſeu materia qua operatur ſunt tum elementa, tum mixta, & quicquid in hoc inferiori mundo reperitur: nã quæcunque in tota rerum facie expoſita ſunt, quæcunque in cauernis ac terræ viſceribus latent, quicquid eſt aquarum ſtirpium animalium, terra, ignis, maria medico inſeruiunt.

Reſtat modò vt efficientem cauſam quæramus: eſt autem efficiens cauſa id à quo incipit motus, quod dupliciter conſideratur, aut vt efficiens principale aut vt inſtrumentum quorum vtrunq; quale in medicina ſit explicandũ eſt. inueterata fuit hominum opinio medicinæ primum ac principale efficiens fuiſſe deum eũque Appollinem, qui poſtea filijs ac parentibus illam communicauerit, ac deinde humana induſtria auctam: ratio verò cur artem medicã ad Deos retulerint in eo cõſiſtit quod putarint diuinam prorſus eam facultatem eſſe quoniã effectum haberet planè diuinum. Quid enim diuinius excogitari poteſt quam morbos ex hominum corporibus in totum euellere: ipſoſq;

ſemi-

ſemimortuos in vitam reuocare? quam rẽ conſiderans Hippocrates medicum ac philoſophũ Deo æqualem eſſe dixit nec multam inter illos eſſe differentiam: veriſimile tamen eſt Deum Optimum Maximum artem medicã per initia: veluti & cæteras omnes Adæ communicaſſe, qua etiam Apoſtoli, cæteriq́ viri ſanctiſsimi vti non ſunt dedignati, diuinam tamẽ prorſus artem fuiſſe, ac ſupra captum humani intellectus apparet, cuius forte ob hominũ peccata nullum nunc eſt veſtigium: ac veluti medicina illa alterius omnino generis fuit, ita hac qua nunc vtimur hominis inuentum dici debet, & homo ipſius cauſa efficiens principalis: inſtrumenta autem fuere experimentũ & ratio: at experimento occaſionem dedit neceſsitas: nam cũ homines quotidie vulnerarentur, à ſerpentibus morderentur alijsvè in infinitis morbis affligerentur coacti ſunt varia experiri quæ mundi ille ſummus Opifex ad hominum vſum feciſſe videbatur, at in illis aliquos leuatos eſſe, aliquos vero læſos: vnde experientia ortum duxit: quæ experiẽtia duplex eſſe poteſt: alia vniuerſalis, quæ propriè experientia dicitur, alia verò particularis: vniuerſalis expe-

Libro de decẽti ornatu.

rientia obseruatio est, & memoria eorum quæ sæpe eodem modo sunt perspecta: particularis verò est cum primum circa aliquod particulare quidpiã tentamus, quod cum memoria coincidit ad vniuersalem illam efficiendam experientiam, sic apud Aristotelẽ ex pluribus memorijs oritur experimentum ex pluribus experimentis ars resultat: ad experientiam omnia illa reducuntur remedia, quæ aut casu, aut relatione, aut consulto, aut imitatione, aut Analogia inuenta fuere: casu enim inuentum remedium est: cum præter medici, aut ægroti opinionem quidpiã contingens cõtulit, quo modo etiã illa proficere aliquando, quæ æger, vt volũtati obsequeretur fecit, vt si quis vehementi siti cruciatus maximam aquæ, aut vini copiam hauriat vt sitim leuet, quo potu grauata postea natura, & ad expulsionem irritata morbi causam expellat, remedium hoc casu repertum esse dicimus. Relatione comparatur remediũ cum vel ex scriptis, aut viua voce cõparatur, qua ratione factum est inquit Herodotus, vt antiqui ægros per compita ac vicos exponerent qui à prætereuntibus rogabant, an aliquando illis morbis laborassent quibus ipsi affligebantur,

Secundo post: cap. vlt.

tur, quibusq; remedijs liberati fuissent, sic relatione remedium nacti experiebantur. Consulto experimur remedia, cũ vel in somnio, aut aliunde petitum remediũ est. Imitatione illa experimur remedia, quæ ab animalibus sunt petita, sic clysteris vsum ab aue Nili fluminis incola acceptũ esse aiunt: hæc enim colli cute tanquam clysteris vtre Nili aqua impleta rostro illam sibi per anum indit, qua postea reiecta vna cum excrementis à dolore, ac molestia liberatur: sed & ad vulneris ferrum extrahendum ceruus dictamum monstrauit, quo sibi ipsi vulnerato ferrum eximit: hirundo ad visionem chelidoniã, qua visum sibi restituit: ad Analogiã seu similitudinem illa spectant auxilia, quæ in rei ambiguitate, ac nouitate adhibentur, sic ab auxilio ad auxilium, à morbo ad morbum à loco ad locum remedia experimur: hæc igitur omnia ad experimentũ reducuntur: sed quoniã experimentum per se nudũ satis non fuit ad artem constituendã, successit ratio sine qua perfecta medicina esse non potuisset: est autem ratiocinatio nil aliud quam progressus quidã animæ, quò à notis ad ignota tendit: qui progressus dupliciter fieri potest,

aut

aut enim fit à sensu ad intellectum per quē pri ma oritur omnis nostra cognitio (nil enim in intellectu esse potest quod prius non fuerit sub sensu) aut ordine retrogrado comparatur, quo id quod sensu cognitum est, seu à sensu princi- piũ cognitionis acceperat exactius intellectua- li notitia cognoscatur: primus ille progressus idem est cũ experientia authore Hippocrate, ratiocinatio enim inquit, memoria quædã est ,, quæ cōponit ea, quæ per sensum sunt percepta, ,, sensus enim perpessus iam delegator existit eo- ,, rum quæ subiacent atq; obueniunt ad ipsam co ,, gitationem, quin sensus sæpe mala perpessus est ,, & suscipit, quibus quãdo qualiter læsus sit ob- ,, seruans & in seipso reponens recordatur, pro- ,, pter hunc igitur progressum orta est experien- tia, quæ à pluribus memorijs sensibilibus initiũ capit, quam maxime sequi medicus debet non sic tamen, quin alterũ rationis progressum fa- ciat quæ ipsam experientiã moderetur, quæ ra tione destituta multoties potius læderet, quam iuuaret: ob diuersam enim corporis naturam, ætates, annitempora, occasionem, & plurima alia fieri potest vt vnus & idē morbus non ea- dem auxilia desideret, eò magis quod à pluri-

Arist. pri. post.

In præceptionib.

bus

bus causis oriri potest: igitur ratio necessaria fuit, quæ corporũ naturas dispositiones, ac earum omniũ causas cognosceret & cæteras omnes circunstantias à quibus certo quodam ratiocinio recte experimento vtitur medicus, quinimo si quando ab hoc destituitur ad indicationem recurrit quæ omni prorsus semota experientia morborum remedia reperire potest si quando noua morborum genera occurrunt. Efficiens igitur artis medicæ homo fuit, instrumenta verò ratio & experientia.

His igitur ita explicatis abundè demõstratum esse arbitror illa omnia, quæ ad medicinæ naturam spectant, diximus enim qualis facultas medicina esset, quis eius finis, quæ officia, quæ materia subiecta, quod deniq; efficiens ex quibus educi potest hæc definitio. Medicina Quid Medicina sit. *est facultas animæ factiua, ratione, & experimento inuenta quæ in humano corpore ob sanitatem operatur.*

Posita igitur medicinæ essentia, illã in duas partes diuidemus, supta partitione ab vniuersali medicinæ actione: est autẽ medicinæ actio humani corporis vitia corrigere, quare aut parua vitia corrigit, aut magna, aut medio-

cria

cria, ex quibus oritur triplex medicinæ pars cō
ſeruatrix, curatrix, aut ex vtraq; mixta: con
ſeruatricis duæ adhuc ſunt partes. aut .n. par
ua adeo vitia corrigit, vt nulla mutatio in cor
pore fieri videatur, et hæc euectrix, ſeu boni ha
bitus conſeruatrix dicitur: aut paulo maiora
corrigit quæ non habitū ſimpliciter ſanum, ſed
eū qui ab illo deflectit, quæ conſeruatrix ſimul
& ſalubris rectè appellatur: rurſus curatrix
quæ magna vitia corrigit in tres partes diſtri
buitur, iuxta tres, quas præſtat operationes:
aut enim cauſas morbū actu facientes ſubmo-
uet quæ generis nomine nūcupata eſt curatiua,
aut cauſas morbum augentes remouet, quæ cu
ratrix ſimul & præſeruatrix dicitur, aut ſym
ptomata, quæ cauſæ rationem habent lenit, vt
ſitim, vigiliam, dolorem, quæ mitigatoria di
citur: quæ vero pars ex vtraq; eſt mixta tri-
plex etiam eſſe cenſetur, prout triplex eſt neu-
tri corporis ſtatus, conualeſcens, ſenile, & ad
morbos paratum, conualeſcenti analeptica,
quæ & refectoria dicitur, ſeu gerocomice, quæ
& renutritoria, & reſtauratrix appellatur,
profilactice ſeu præſeruatiua, quæ corpora iam
in morbos caſura defendit: ſic igitur ex medi-
ci ope-

ci operatione partes medicinæ inuenimus: non tamen sic vt omnia cõprehensa sint, quæ in ea considerantur: si quis tamen omnia velit comprehẽdere per hanc, id cõmodè faciet, si dicat: medicinæ alteram partẽ esse, quæ corporis naturam partes, facultates vel actiones omnes, earumq́; causas considerat: alteram verò quæ sanitatis, morbiq́; essentiam differentiã, causas, signa medicam materiam, & rectum illius vsum docet.

His igitur ita explicatis, quæ ad naturam medicinæ, ac partes, partiumq́; proprietates pertinent, iam aggrediamur, quod ab initio à nobis propositum fuit, ac ostendamus medicinã artem, omnium artiũ esse præclarissimã, quod Hippocrates in fronte huius tractaationis statim posuit: quò homines ad illam perdiscendã inflammaret: tum etiam vulgi opinione prorsus reprobaret, qui existimabant indignã esse, ac vilem: dicit igitur medicinam præstare cæteris artibus nec aliquam affert rationem, quod si quis finem consideret facilè intelligere poterit: nos tamen id ostendere tentabimus, ratione primo ducta ex ipso medicinæ fine, à quo præcipuè habent artes omne id, quod sunt: de-

inde ad idem probãdum afferemus subiectum scilicet efficiens & formam.

A fine igitur ita argumẽtor illa ars omniũ est nobilissima cuius finis omnes alios excedit, sed medicinæ finis cuiuscunq; artis finem superat, ergo medicina est nobilissima, maior per se nota est, quoniam præstantia artis à fine ducitur: minor probatur assumendo medicinæ finẽ tum intrinsecũ, tum extrinsecum, hac ratione: Medicinæ finis est vita, & quæcunq; in vita desiderari possunt: ergo finis medicinæ omnes alios excedit: consequens est manifestum, antecedens à nobis declarabitur. illud adnotãdo nos per vitam intrinsecum finem intelligere, per cætera verò eius commoda extrinsecũ: quod verò ipsa vita, finis medico sit, ex eo patet, quia ita cum sanitate cõiungitur, vt vnũ censeri debeant. nam valetudo aut vita est, aut eã immediatè sequitur, veluti morbus via quædam ad mortem haberi debet: aut potius mors quædã: nec enim illa vita censeri debet, quã homo degit, dum morbo affligitur: hinc est quod antiqui medicinam, vitã restituere arbitrarentur: quod cum morbo languentes sanaret: quasi à morte quadam ad vitã reuocaret:

Statue

statue obsecro hominem morbo graui teneri, quid illi quæso iucundum, quid dulce, aut suaue videri, aut saltem conditionis acerbitatem lenire potest? vitam enim ipsam non tam in rerũ essentia, quàm in operatione consistere volunt philosophi: at quid obsecro operari potest homo, qui morbo languet? quare medicina dũ sanitatem sibi proponit, operationẽ quoq; quærit, quæ absq; ea esse non potest, in operatione verò vita consistit: cum igitur vita sit medicinæ finis, aut eius finem sequatur, vitaq; ipsa nil præstantius aut esse, aut excogitari poßit naturaliter, sequitur, vt ob hunc finem intrinsecũ ars sit & omnium illa quidem nobilißima.

Sed quod omnia vitæ cõmoda ex medicina resultent ostendemus, si prius quæ illa fuerint explicabimus: nam si quid vltra vitam expetimus, id vel sapientia est, aut virtus, aut potentia, aut gloria, aut opes, aut dignitates, aut amicitiæ, aut voluptates: quorum vnũ quodq; tantæ est præstãtiæ vt existimarint homines in illis summã fœlicitatẽ esse collocatam: at nulla est ars per quã magis hæc omnia acquirantur: quàm per medicinã: igitur medicina omnium artium est nobilißima, ac præclarißima.

A. Medicina ...

Atq; vt singula explicemus à sapientia incipiamus, quæ in rerũ consistit cognitione, ea tanta profectò est in medicina solum, quanta in reliquis omnibus ferè facultatibus simul: est .n. Medicus, Grammaticus, Logicus, Rethoricus, Astrologus, Geometra, Arithmeticus, Musicus, Geographus, Architectus, Philosophus naturalis, Moralis, atq; Diuinus.

Cum enim in medicina inquirenda, scribenda, tum facienda congruè loquitur, Grammatici fungitur officio, quod in congrua loquutione consistit. Medicus itidem est Logicus, et „ rationalis artifex dũ per illam adiutus cogno- „ scit quot in vniuersum sint morbi, & quo pa- „ cto sumenda sit cuiusq; curationis ratio, qua- „ lis præterea sit vniuersa corporis humani natura. Rethorica vtitur medicus ad ægri consolationem, per quam tum desperationem ægri tollat, ministrorũq; obedientiam sibi cõparet. Astrologus est medicus, cum temporum mutationem considerat, quæ ex ortu, & occasu stellarum dependent, cum nullum insigne medicamentũ non sanguinis missionem, non purgationem, per solistitia & æquinoctia exhibet, quæ æquinoctia, & solistitia magnorum syderum

Galen. in libr. quòd medicus debet esse philosop.

Hipp. de de aere, aquis, & locis.

sunt

sunt effectus. Geometra est medicus cum per ipsius cognitionẽ, quæ multiplex est, & varia omniaq́; cum demonstratione transigit: ossiũ figuras, situs, coarticulationes, & reliquorũ membrorum ordinem inuenit, quibus cognitis cõmodè luxata reponit, aut fracta vnit, aut cariosa perforat, omnemq́; aliã operationẽ exercet: geometria etiam vtitur dum totius corporis, & partium eius figuras considerat: iam.n. quod caput figuræ sit rotundæ, eo probat, quod capacissima sit ad continendum omniũ figurarũ, circularia vulnera difficilius curari dicit: quod partes distantes habeat, quæ omnia media sunt Geometrica. Arithmeticus etiam debet esse medicus, quod per numerorum scientiam transmutationes febrium præter rationẽ fientes, morborũ crises, ac iudicia cõsequatur, quæ cognitio præclarissima in medicina est, tum ob rei necessitatem, tum difficultatẽ: magnum .n. in medicina est morborũ remissiones, ac intercessiones circuitusq́; cognoscere, ac eorum rationem inquirere quod per Arithmeticam fieri certum est. Musica vtitur medicus ad cognoscẽdum totius corporis harmoniã, in qua sanitas consistit, & ametriam in qua

Idem in episto. ad Thessalũ filium.

Idem in epist. ead.

morbus, quinimo vtitur Musica medicus ad varios illos pulsuum riethmos, atrithmos, par rarithmos, omnemq́ proportionem pulsificam cognoscendam, cuius exacta cognitio ad morbi dignotionem, tum ad prognosticũ, tum curatio nem viã latißimè aperit. Geographus est me dicus dum totius mundi partes, earũq́ situs naturam, ac positiones considerat, Asiam, Africam, Europam, & quicquid orbis est reliquum. cum particulares cuiusq́ prouinciæ & ciuitatis situs perpendit: Considerat enim ciuitatem ad quam mundi partẽ exponatur, nùm ad meridiẽ sita sit, aut ad septentrionẽ iaceat, quomodo ad solis ortus, & occasus collocetur, quibus ventis tecta & perflata sit, nùm in loco alto, humili, arido, aquoso, vnde, aut in qua parte fontes collocẽtur qui hominũ mores, nùm edaces, aut potatores, quæ dieta illis sit propria, quibus exactè cognitis iam in ambiguo nõ erit medicus vbi ad ciuitatẽ sibi ignotam accedit: sed exactè cognoscet omnes morbos illi regioni particulares, ac endemios, futurosq́ prædicet, temporis constitutionẽ animaduertens. Architectus est medicus, dum domorũ considerat structuram, & cõmoda: quibus scilicet ventis

Hippo. de aere, aquis, & locis.

expo-

exponendæ sunt fenestræ, porticus, atriũ: quibus lignis constare debeant ædes, quæ cubicula, aut cœnacula, & quomodo constituẽda ut hyemali sole tepeant, & æstiua auræ perfrigerentur: sed iã naturalem philosophiã aggreditur medicus, dum pluuias serenitates, frigora, niues, calores ventos, aeremq́ scrutatur: cæteraq́ metheorologica: dũ omnium animaliũ naturam plantarum, lapidũ, metallorum, pisciũ genus, auiũ, serpentũ, quadrupedum mẽbraq́ illorum non modo uniuersa: sed generationem formas, regiones, vbi nascantur, quæq́ optima pessimavè sint: quævè illorum actiones ac proprietates perquirit, in quibus naturæ cognitio
„ *maximè elucescit. Nec enim fieri potest inquit* De veteri
„ *Hippocrates ut de natura aliquid manifestũ,* Medicin.
„ *ac euidens cognoscatur, nisi ex medicina con-*
„ *tingat. Sed & per moralẽ philosophiam animi mores considerans eiusq́ affectiones, iram, gaudium, spem, timorem, tristitiam, amorẽ, odium, cæterasq́ eiusdem generis omnibus contraria adhibet, in medium afferens iustitiã, temperantiã, fortitudinẽ, patientiam, modestiam, quæ omnia ad moralem philosophũ pertinent. Sed & theologus fit quodãmodo medi-*

cus

cus dũ in quæstionẽ vertit, nùm morbi, eorũq́; causæ à cælo Deoq́; proueniant: dum de immortalitate animæ agit: dum mortalium calamitates in tractandis morbis dignoscens hominis fœlicitatem non in terris positam esse videt: proinde mentem ad diuina erigit.

Quamobrem habet in se medicina omniũ aliarum facultatum perfectiones, & præter illas, multa etiam sibi propria. Quid obsecro ea cognitione præclarius excogitari potest, quæ per anatomen totius humanæ fabricæ habetur? in qua quascunq́; quantumuis reconditas particulas visu, tactuq́; cognoscendas proponit, & in qua cum ipsa natura contendere velle videtur medicus. Accedit admirabilis illa ingenio saq́; ac ferè diuina pulsuum cognitio, quæ aut sola, vel maximè hominis intelligentiã supra humanam esse ostendit. Nonnè his omnibus armatus sapiens haberi medicus debet? sit sanè non modo sapiens, sed iure optimo sapientissimus: cum nullus alius artifex vix partem eorum attingat quæ medicus ipse cognoscit.

Sed ad virtutem si veniamus ea certè in re nulla alia magis, quam in medicina elucescit: si.n. virtus est rectè operari, quod obsecro opus

præstan-

præstantius, aut quodnam maius beneficiũ erga mortales esse potuit, quam illos iãiam interituros in vitam reuocare? nimisq́; desideratã sanitatem restituere? virtus quidem sanè illa est profectò insignis, homines inopes alere imbecilles defendere, sed sanitatem restituere opus est prorsus diuinum, propterea mirũ non est si viri sanctißimi medici officio functi sint vt ĩ quo maximũ virtutis lumen fulgeret: vbiq́; enim habet medicina quod agat: vbiq́; quod iuuet, nam Iurisconsultus inter arma silet, præscriptos habet limites, inter quos iudicet, nec affinibus, aut cognatis litigantibus iudex esse potest, reuocationem habet iudicis sententia, iudicium vitari potest composita inter partes lite. At medicina nunquam otiosa est, vndiq́; auxilia petit, omnibus pariter iuuat, medici consulta irreuocabilia sunt nec cũ morbis, vel pax, vel pactum vllum esse potest. Rhetor apud plerasq́; nationes silet, nec in eadem causa ab omnibus probatur, sæpius iniusta consulit. at medicina nusquam quidem non est, si quidẽ imperitißimæ gentes, herbas, aliaq́; prompta in auxilium vulnerũ morborumq́; nouerunt: semper iustum operatur, semper vt tale indica

Celsus in proemio.

G *tur*

tur ab omnibus, quare vbiq; locorum medicus pietatis officiũ, ac humanitatis plenũ præstat: insunt deniq; in medicina omnia virtutũ, ac probitatum genera, argenti contẽptus reuerentia, verecundia, habitus submissus, authoritas, iudicium, obuiam itio, cognitio vtiliũ ad vitam ac necessariarũ purificationum, alienitas à mercimonijs, alienitas à superstitione, præeminentia diuina. Habet enim quæcunq; habet ad coercendam intemperantiã, inscitiã, auaritiam, concupiscentiã, rapinas, ac imprudentiam: quæ si quis animaduertat, virtutis fundamẽta maxima in medicina esse cõperiet.

De decenti ornatu Hippocr.

Sed quid de potentia dicere est opus, cũ nullus reperiatur, qui medici imperio non subijciatur, non Pontifices, non Imperatores, non Reges, nec alius quispiam cuiusuis conditionis sit: nam boni medici ita semper ægris imperare voluerunt, veluti Imperatores militibus, ac Reges subditis, idq; optima ratione: non.n. ad sanitatem recuperandam satis est, medicũ suũ fecisse officium, nisi suum quoq; ægrotus, suum astantes faciant: sintq; externa ritè comparata. Medicina enim ex tribus constat, medico, ægroto, & morbo, quorũ duo medicus, & æger

1. Aph. 1.

Lib. Epid

morbo

morbo se opponant oportet quare obediẽtia medico est necessaria: hãc igitur Principes ac viri præstantissimi medico concedunt: quare cũ tãta insit in medicina potẽtia, miror sanè quanam memorabili ratione cõmoti hominum turba hisce nostris temporibus medicinã artem vilem viliq́; homine dignã existiment, cũ ea non secus ac de sapientia dictũ est cum Regibus sedeat ac eos sibi subditos faciat qui alijs dominantur. Prouer. 8.

Quod si quis gloriæ nimis auidus fuerit medicinam optimè teneat: nã nomen boni medici omnes alias artes obscurat. Celebratur Allexander ille magnus ob res præclarè gestas quod totum orbẽ terrarum armis sibi comparauerit alijq́; eiusdẽ generis magni viri, vt Pyrrhus, Annibal, Scipio ob innumeras partas, victorias, reiq́; militaris peritiam. Inter philosophos Socrates, Plato, Aristoteles cæteriq́; eius farinæ viri moribus, ingenio, ac doctrina præstantes: magnum quoq́; extat in terris poetarũ nomen, vt Homeri, Virgilij, Lucretij, & aliorũ qui carmine valuere. Oratorũ quoq́; magna laus esse perhibetur, vt Demosthenis, Ciceronis, & multorum, qui in arte dicendi claruere,

re, omnis deniq; alia ars suos fautores ac inuentores memoriæ cõmendauit: sed nullus (si rectè perpendas) in deorum numerũ fuit collocatus præterquã medicus: Appollo enim & Æsculapius, quoniam rudẽ, ac vulgarem priscã illam medicinã paulò diligentius excoluerunt in deorum numerũ recepti sunt: his non inferior Hippocrates veluti ditißimus medicinæ oceanus extitit, cui ob artis peritiã aurea statua ab Atheniensibus erecta est: cuius hominis celeberrima fama, quãuis antiquißima, adhuc apud nos extat, viuetq; perpetua cum maxima laude: veluti multorũ aliorum, qui eum sequuti sunt: Erasistrati scilicet, Asclepiadis, Herophili, Praxagoræ, Galeni, & aliorum quos nulla vnquam tẽporis iniuria ob hominũ mentibus auellet.

Thessalus in epistol. ad Athenien.

Sed & qui potentia, armis dicendive peritia claruerũt, omnia calamitatis incendij sanguinis, rapinæ, truculentiæq; signa, & vestigia reliquere, vnde illorum memoria non omnibus laudata viget, sed à quàmplurimis potius vituperata: at medici memoria viget, & illa quidem pietatis humanitatis, & amoris plena, ab omnibus commendata, sine alicuius noxa.

Iam

Iam verò si diuitias expetis, tantæ in medicina comparantur: vt si exempla referre vellem fabulas prorsus narrare viderer: nam vt Celius Rodiginus refert, Podalirius antiquißimus medicus cuius etiam Homerus in bello Troiano mentionē fecit, filiam Damethi Regis è tecto lapsam misso ex vtroq; bracchio sanguine curauit: cuius postea ob egregiā nauatam operā matrimonium promeruit: nullis prӕterea vt Plinius refert maiora vnquā stipēdia data publicè fuerunt, quam medicis: sed & priuatus quæstus vberrimus olim medicis fuit: nāq; vt idem author refert, Sterlinus Romanus medicus sexcenta sextertia annis singulis se lucrari numeratis domibus gloriebatur. Crinias item Maßiliensis medicus ex peculio quod sibi medicina cōparauerat mœnia ciuitatis extruxit, & moriens infinitam quoq; pecuniarum multitudinem mœnijs patriæ reliquit. Artaxerses Rex maximus Hippocratem ad se conuocari iubens præcepit suis, vt auri illi quantū voluisset, tribuerent, vnumq; ex primatibus suis futurum si ad illum accederet: Antigonus Erasistrato à quo, non sine magna artis medicæ gloria, curatus fuerat filius: Sexagies mille aureos In episto. ad illum missa.

Medicina Mag. diuitias parit

reos phillipeos perſoluit : ſed longior nimis eſſe
ſi illa referre vellem, quæ Allexander Critobu-
lo, ſanato ab eo Philippo eius patre, obtulerit,
quæ Phalaris Policreto Meſeno dederit : &
quæ Policrates Democidi: quod ſi hæc vt anti-
qua non arrident, non deſunt & modernorum
medicorũ exempla. Thadæus enim Florenti-
nus, Petrus quoq; Apponenſis, moderni ambo
medici, non niſi quinquaginta aureis corona-
tis ſingulis quoq; diebus extra vrbẽ proficiſce-
bantur: Iaques Cotierus ex modernorum claſ
ſe à Ludouico X I. Gallorum Rege quinqua-
ginta mille aureos coronatos accepit : quod ſi
hoc noſtro ſæculo, tum ob hominũ auaritiam,
tum medicorũ multorum imperitiam, merces
diminuta eſt: tanta tamen adhuc exiſtit, vt om
nibus abunde ſuppetat: at ſi cætera demas, id
inter cæteras artes peculiare medicina habet,
quod vbiq; gentium ac locorum omniq; tempo-
re ſuos alat artifices, quæ res nulli artium alte
ri competere videtur.

Quod autem ex medicina ad dignitates pa
retur aditus, id neminem latere arbitror, nã
inter Pontifices ſummos medici nonnulli exti-
tere, quinimo Petrus ipſe Eccleſiæ ſtabile fun
damen-

damentum, ac primus omniũ Pontifex sanctissimus, dum claudos, cæcos, dæmoniatos, paraliticos in sanitatem restituit quodãmodo medici opera egregiè functus est, ac plusquam medici, dum mortuos ad vitã reuocauit. Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi multi sanè medici extitere: sed & Imperatores ipsi ac Reges, imperatoriam ac regiã dignitatem magis splẽdescere sunt arbitrati si medicinã profiterentur: Quod Vespasianus, Pyrrho, Trimegistus, Mithridates præstarunt, & nunc etiam Gallorum Reges præstant.

Si verò amicorũ copiam desideras, nullus alius nec plures, nec digniores quam medicus, habet: nil enim vehementius ad beneuoleuolentiam homines inflammare potest, quam medici officiũ, pietatis, & humanitatis plenum: propterea nõ modo quoscunq; homines sibi in amicitiã coniungit, sed etiam principũ, ac magnorum hominum familiaritate vtitur: fores .n. Regum quæ omnibus alijs ferè clauduntur, medico semper patent, in omni tẽpore die noctuq; ingressus illi est liberus.

Deniq; si voluptatem in medicina quæris, ex qua nam alia re, maior quam ex ea comparari

rari potest? nunquid non vehementi gaudio afficietur ille, qui sapientia, virtute, potentia, gloria, dignitatibus opibus amicitijs quasi amictus graditur? Quare cum hæc omnia medicina cõparentur, aut magis quã per aliam quãuis facultatem, dubio prôcul medicina omnium artium nobilissima, ac præclarissima censeri debet.

Quod si ex efficienti medicinæ dignitatem quis quærat, inueniet illam ad Deum Optimũ Maximum relatam esse, at quid eo ipso optimo omniũ patre dignius, aut præstantius excogitari potest? quod si homo eius inuentor extitit, ars etiam nobilissima est iudicanda: si quidẽ homo finis est omniũ, quæ in hoc inferiori mundo reperiuntur, qui ad eius summi Artificis similitudinem creatus fuit, vt omnibus, quæ in terris sunt dominaretur, quasi naturæ ordini conuenientissimũ esset, vt veluti in supremo illo mundo ab omni prorsus alteratione semoto vnus esset optimus princeps Deus benedictus, ita in hoc inferiori orbe alter daretur, nẽpe homo, qui omnibus ijs imperans ad illũ supremũ mentis acie eleuaretur. Num igitur præstantissima nõ erit ars illa cuius vel summus Deus,

vel

vel homo nobilißima creatura fuit inuentor? sed cum & idem homo medicinæ sit subiectũ, propterea subiecti nobilitate omnes alias facultates superat, præterquã sacram Theologiã, quæ Deum optimũ maximũ contẽplatur. sed si medicina vt ars est consideretur, ea cũ sit liberalis, & architectonica omnibus ferè alijs imperans nobilißima est censenda: quod si hæc ad medicinæ præstantiam declarandã non sufficiunt, audiamus iam quid de illa proferat di-

" uina Sapientia, Medicũ (inquit) suis præmijs affice, vt eum habeas in quibus opus est, nam illum creauit Dominus, est .n. à supremo medicina, & à Rege stipendium accepit, medici sciẽtia caput extollit, vt proceribus sit admirationi: Dominus creauit ex terra medica-

" menta, quæ prudens homo non fastidiet hæc scriptura sacra. Quamobrem abundè probatum esse arbitror id quod Hippocrates statim sibi proposuit, medicinam videlicet artem, omniũ artium esse nobilißimam, ac præstantißimã: sed videamus quid postea subiungat.

Sap iẽs n Ecclesiastico.

H Tex.

Tex. Verum propter ignorantiam eorum, qui eam exercent, & ob vulgi ruditatem, quod tales pro medicis iudicat, & ut habet; iam eò res deuenit; vt omnium artium longè vilissima censeatur.

LICET præstantissima reuerà omniũ artium medicina sit, ea tamen illius ætate, Hippocratis fuit opinio vt potius longè vilissima censeretur. vigetq́; ea ad hũc vsque diem, quamobrẽ paradoxũ scripsisse sibi videbatur, medicinã supra omnes artes extollens, nullus enim nunc est, dũmodo se nobilem putet, qui indignũ non iudicet medici nomen, animũq́; potius ad alias facultates applicet: & si quis ad medicinã quoq́; accedit, id potius lucri, & inopiæ sibi leuandæ gratia facit: sed & mille etiã modis hominũ plebs medicinam ac medicos vituperat, quod morbos solum curent, qui à seipsis fuissent sanati, idq́; potius fortuna aut Dei ope, quã vlla egregiè nauata opera: homines autem qui moriuntur, non vi morbi, aut ægri intemperantia, sed medicorũ culpa interire, quam rẽ animaduertens ipse Hippocrates, ita de seipso loquitur ad Democritum scribens: ar" tis medicæ recta facta ò Democrite plerique è "

In episto. ad Democritum.

,, vulgo hominũ non omninò laudant: verũ dijs
,, sæpe attribuunt: si verò natura reluctata per-
,, diderit eũ, qui curatur medicos reprehendunt
,, numen prætereuntes: et ego sanè mihi videor
,, maiorem reprehensionẽ, quam honorẽ artis me
,, assequutum esse hæc ille. Quamobrem infames medici, infamis quoq; medicina habetur cõmuniter: sed hanc opinionẽ falsam esse ex illis, quæ superius tradidimus, satis est demonstratum: modo causas docet Hippocrates, vnde proueniat ea vulgi opinio de medicina, dicitq; duas esse causas huius rei: alterã quidem medicorum ignorantiã, alterã verò vulgi inscitiam, & ignauiam, qui medicos peritos ab imperitis distinguere non valet: sed vt omnia rectè intelligantur, indicandũ est quid ignorãtia sit, & quotuplex, quæq; illa sint, quæ in medicina ignorantur, & quomodo dicatur medicus imperitus cur tales multi sint medici, deinde de vulgi ignorantia dicemus cur verum à falso medico distinguere nesciat.

Et quod ad primum spectat ignorantia nil aliud est, quam scientiæ, & cognitionis priuatio: hæc autem duplex esse potest, quædam .n. ignorantia negationis dicitur, quædam verò

ignorantia prauæ dispositionis: ignorantia negationis est quoties eius rei, quã intendimus nihil omninò scimus, quo pacto rusticum omnia ignorare dicimus quæ ad nauigandi peritiam spectant: ignorantia autem prauæ dispositionis est, cum rẽ, quam intendimus aliquo pacto, sed confusè, aut opposito potius modo dignoscimus: fieri igitur potest, vt imperitus medicus ea quæ medicinæ sunt, & ignorantia negationis, & ea, quæ prauæ dispositionis est, ignoret, aut altera duarũ etiam: nam vel ob vnã, aut vtramq; ignarus dicetur: quæ verò in medicina ignorantur æqualia sunt ijs, quæ noscere debet medicus, morbi videlicet dignotio, eius prognosticum & curatio: per diagnosticam enim partem noscit medicus morbi naturã differentias, partes, causas, & signa, per prognosticũ nunquid speranda sit salus, quæ si speratur, per curatiua remedia, et rectũ illorũ vsum adinuenit: habent autem hæc tria inter se illam proportionem, vt ad vnum cætera ordinentur, nam morbũ cognoscimus, & de illo iudicamus propter curationem, quæ tamen curatio, nunquã præstari potest, nisi quis morbũ cognoscat, ac de illo futurum prædicat: Medicus igitur

impe-

imperitus talis dicitur, aut quia morbũ non cognoſcat, aut ſi etiam cognoſcat, quid de illo futurum ſit ignoret, aut ſi id quoq; aſſequatur curationẽ adhibere non valet: propterea talis dicetur, aut quod omnia iſta ignoret, aut quod aliqua ex illis: ſi igitur morbũ ignoret curare nulla ratione poteſt: curatio enim, ablata morbi cauſa fit: quæ ſi ignoratur: ſequitur vt caſu, ac temerè omnia poſtea adhibeantur remedia, proinde dicebat Hippocrates medicũ ſufficientem eſſe ad ſanandum, ſi ſufficiens fuerit ad cognoſcendum: quod ſi etiã morbo cognito, prognoſticum ignoret, artẽ quoq; infamat, dũ morbos incurabiles aggreditur: Morborũ n. eodem authore, triplex eſt natura, alij omninò mortales ſunt, vt tabes, hidrops, maraſmus, cauſos, phrenitis, peripneumonia, vteri eryſipelas ſi prægnantem mulierẽ inuadãt: alij ſanabiles ſunt, vt tertiana, quartana, ephemera. nonnulli dubij vt angina, peripneumonia, pleuritis, dyſſenteria, nõ quod dubij dicantur, quia in illis quid futurum ſit, medicus cognoſcere non poßit, ſed quod aliquando occidant, & aliquando non: ſi igitur prognoſticum ignorat medicus, aggredietur curandos illos ægros,

Lib. de Arte ad finem.

Primo de morbis.

qui

qui prorsus prognosticis sunt relinquendi, propterea artem infamat, dum indifferenter omne morborũ genus curare aggreditur: sed age iam cognoscat medicus morbũ, optimèq; prædicat, si remediorum postea rectũ vsum non habeat, qui experientia maximè acquiritur, dũ ex opinione medetur homines interficit, proinde nõ sufficit alteram medicinæ partẽ habere, quæ morbi naturã, causas, accidentia, & prognosticum, curationẽq; per vniuersalia theoremata doceat, sed vsus medendi requiritur: quod respiciens Hippocrates hortatur omnes medicos, vt cõmodam habeant exercitationem post dogmatum vniuersalẽ notitiam, nec enim particularia postea quispiam cognoscere posse speret citra exercitationis constantiam, quapropter hoc admoneo, inquit, vt medicis dicentibus quidem attendant, facientibus autem incumbant. Cum igitur omnibus illi tribus ignoratis, aut aliquo ex illis curare non poßit medicus, hæc verò à quãplurimis ignorẽtur qui medici nomen sibi vendicant, sequitur vt pro salute, mortem potius afferant, vnde ars infamatur, quæ diuina prorsus existit cũ vitium sit artificis: igitur non est mirandum, si hæc medi-

Libro de præcept.

corum

corũ ignorantia in causa fuerit: vt multæ hominum nationes, medicos veluti pestem è ciuitatibus expellerent, qui postea fœliciter absque medici opera vixere, quod & nunc Turcæ faciunt: nam hi quod natura etiã docet, quiete, abstinentia à cibo nimio, & potu vini, clystere, lauacro, tum sani viuunt, tũ à morbis liberantur, & plures sic sanantur, quã si à prauis medicis curarentur, quos certum est casu, ac fortuna, res ægrorum, omnes tractare, naturæq́; non ministros, sed inimicos potius esse.

Atqui sicuti imperitorũ magna est multitudo, ita medici reperiuntur sapientes, ac in arte periti, qui medicinã ob ægregia eorum opera vsq́; ad cœlum extollunt, videturq́; hæc esse omnium artiũ cõditio, vt alij sint ignari, alij præstantes, nã Astrologorum, Rhetorũ, Nautarũ, Pictorũ alij ignari, alij praecellentes reperiuntur, sic in medicina accidit quod si hoc nõ esset, nec etiam sanè in ipsa obseruationes essent, nec
" *aliquid inuentorum extaret, sed omnes æqua-*
" *liter eius ignari, & inexperti essent, & per for-* Hippo. de veteri me
" *tunã res ægrorum omnes gubernarentur: nunc* dicina
" *verò non ita se res habet, sed quemadmodum*
" *aliarum omniũ artium artifices multum inter*

se diffe-

ſe differunt tum manu, tum mente ita in medicina. Sed differentia eſt multa inter medicos, & alios artifices, quorum errores tolerari facilè poſſunt, cum non multũ interſit ſi quid deliquerint: at medici error, quamuis leuis hominem è medio tollere poteſt, ac præcipuè in morbo graui. propterea accedit maior medicinæ infamia, at ignorãtia medici in cauſa eſt illius vituperatiouis, quã vulgus medicinæ attribuit, non ars ipſa quæ innocens ad mortalium ſalutem, optima inuenit, ac docet: vulgi verò ignorantia, quæ diſtinguere non eſt apta prauos medicos à bonis, ac peritis, infamiæ artis medicæ adhuc & ipſa in cauſa eſt: nam ſi id cognoſceret vulgus, vituperaret quidem medicos illos prauos, non autem ipſam artem.

Sed cur vulgus id efficere non poßit indicãdum eſt, primum ſanè ex ignorantia artis id contingit: putat .n. plebs medicinam, facultatem præbere ad omnes morbos curandos: quod tamen verum non eſt. multi enim ſunt morbi, qui nullam opem admittunt, cum verò ille contrariũ teneat, ſi quando ob affectionis vim moritur homo, etiã in medicorum præſtantiũ manibus, eos ipſos medicos iudicat vulgus imperi-

tos,

tos, quod ſanare morbum non ſuffecerint: at è contra multi iã ægri in manibus ignari medici ſanantur: quod cum ipſius naturæ ope fiat, medico ſaniattem attribuunt: & hac ratione æquale nomen perito & imperito medico naſcitur, & cum in vtrorũq; manibus & pereant & ſanẽtur, æqualiter medici officio vtriq; fungi videntur, ſanatur autem homo in manibus indocti medici, aut quod morbus ſuapte natura ſit leuißimus, aut ſi grauis ſit ob naturæ ægrotantis vim: nam ſi iuuenis robuſtus æſtatis tẽpore febri non mediocri iaceat oppreſſus, accedatq; ignarus medicus, qui vinum, oua, carnemq; ei porrigat, aliaque multa intempeſtiuè adhibeat, fit ex hoc, vt ſeptima die irritata natura, ætate, & tẽpore adiuta, licet multis exhauſta vijs, ac debilitata modis, inſurgat, veluti vir robuſtus & acer, materiãq; protrudat multis ſudoribus, aliave excretione, dicet nequaquã ille medicus ſeruaſſe, quem Deus ſeruauit: nam ipſe quantũ in ſe fuit peremit: huiuſmodi autem tã multi caſus in ſingulis annis accidunt, vt velamen imperitis medicis afferre poſsint.

Secundo ex natura morbi oritur vulgi igno

gnorantia, qua bonũ medicum minimè cogno-
Hippo. 1. de morb. ſcit: ſunt .n. morbi quidã, qui neceſſariò quæ-
dã mala ſecum adiuncta habent, quæ cum nul-
la arte euitari poſsint in medicũ culpam reij-
ciunt neceſsitatem non agnoſcentes, quæ vt ta-
lia fiant cogit: Nam ſi ad febricitantem, aut „
vulnus habentẽ bonus medicus ingrediatur, et „
admotis quamprimũ remedijs opituletur, ſed „
poſtera die æger peius ſe habeat medicum accu- „
ſant: quamobrẽ eadem de bono, & malo medi
co opinio imprimitur.

Tertia cauſa ignorãtiæ ipſius vulgi eſt for-
tuna: hæc enim veluti cæca tã bonis quàm ma
lis medicis fauet, propterea eadem de vtriſq;
concipit vulgus opinionem. multa enim in me-
dicina fiunt tum in malũ tum in bonum ob for-
tuitum euentum, quod multoties accidit: fieri
Ibidem. enim poteſt vt bonus medicus ad hominem ac-
cedens, qui bile in ſtomacho infeſtatur, proinde
medicamentũ ſurſum purgans exhibeat, ſed
motus poſtea, quo ad vomendum concitatur
venã in pectore rumpat ei, qui nullum prius in
pectore malum habeat: rurſus ſi ad mulierem
grauidam accedens eodem morbo laborantem
vomitoriumq; exhibeat: at illud non per ſupe-
riora,

riora, sed infra purget & fœtum corrumpat: itidem qui suppuratũ curat optima, qua fieri potest ratione, si forte fluxus alui superueniat moritur: his igitur rationibus alijsque multis fortuna medicũ etiam optimũ defraudat: sed in alijs quampluribus indocto fauere potest: si
" *enim accedat imperitus medicus ad mulierẽ*
" *curandam, cui menstrua defecerint, pharma-*
" *cũq; purgans nulla ratione exhibeat, & phar-*
" *macũ menses moueat, id à fortuna factum est:*
" *itidem si ad hominem in vesica lapidẽ haben-*
" *tẽ accedat, pharmacum etiam adhibeat, qui*
" *lapidem foras extrudat, & si ad suppuratũ ac-*
" *cedat qui in thorace puris copiã habeat medi-*
" *camentũq; exhibeat, ad quod pus omne sequa-*
" *tur: itidem si temerè pharmacum præbeat illi,*
" *cui tuberculum in stomaco erat suppuratum à*
" *quo rumpatur, pusq; expurgetur, tale quidpiã*
" *à fortuna factũ est: quamobrem cum talia per* Hippo. 1. de morb.
" *nullam medicorũ scientiam, aut ignorantiam*
" *fiant, sed sua sponte, aut fortuito casu contin-*
gentia iuuent, aut noceant, non mirum est, si eandem opinionem & boni et mali medici vulgus habeat.

Duo tamen sunt, quæ imperitiã medici ostẽ

dunt, alterum est affectionis natura: alterum verò boni medici superaduentus, de primo loquens Hippocrates, ita rem totā æxprimit, „ plerięʒ medici eadem quæ mali gubernatores in se „ admittere mihi videntur, etenim illi cū in trā „ quillitate gubernantes delinquunt, non fiunt „ manifesti: cum verò deprehenderit ipsos ven- „ tus magnus & tēpestas palàm iā cōspicui sunt „ omnibus hominibus, quod ignorantia, & cul- „ pa erroris sui nauē perdiderunt: sic sanè etiā „ mali & plurimi medici, cū curant homines ni „ hil graue patientes, in quos si quis etiam maxi „ mè delinquat nihil graue faciat (sunt autem „ multi tales morbi et multo sæpius quam graues „ hominibus incidunt) in talibus sanè delinquē „ tes, non fiunt manifesti idiotis hominibus: vbi „ verò obtigerit magnus & fortis, ac periculosus „ morbus, tunc ipsorum delicta, & ars omnibus „ in conspicuo sunt, neqʒ enim longe absunt sin- „ gulorū pœnæ, ac cruces, sed breui adsunt: at „ cum in his morbis facilè deprehendi mali medici possunt ad curationē non accedunt, vbi perniciosam affectionē esse vident; quod si quando contingat iam eorū imperitia manifesta est, eoqʒ magis, si alter & ille nouus superaccedat

De veteri medicina

medi-

medicus: nam primus morbũ auxerat, hic verò dolores, ac affectiones domat, vnde ægroti dolent, quod ab initio potiori in arte se ipsos nõ cõmiserint ad finem vsque. remißio enim morbi alicuius magnũ ægro solatium afferre solet: hæc tamen raro contingunt, quia rari sunt huiusmodi casus, & propterea vulgus propter supra dicta omnia distinguere non valens imperitos medicos ab optimis, artem inutilẽ, & perniciosam existimat, cum inutiles potius & perniciosi sint mali medici, vitium enim artificis arti non est tribuendum.

Libro de prçceptionibus.

Tex. At verò hoc peccatum ob hanc potissimùm causam mihi committi videtur: soli namque medicinæ nulla pœna in rebus publicis statuta est præterquam ignominię, verum hæc non afficit, nec contingit eos, qui ex composito personam ipsius induerunt.

DIxerat superius medicorũ ignorantiã, potißimum occasionem præbere hominibus, vt medicinam vituperarent: nunc verò explicat, quare multi ignari reperiantur medici. quoniã, inquit, nulla pœna in rebus publicis, veluti cæteris delinquentibus statuta est medicis ipsis: fit verò hoc ea ratione, quia medici officiũ pietatẽ representat, nec .n. illos supplitio di-

gnos

gnos esse sibi, persuadent homines, qui operam suam ad illorũ salutem conferunt. vnde licèt hominẽ per errorẽ occidant à pœna prorsus fiũt immunes: quare bene in adagio dicitur, solis medicis licet impunè occidere, cũ non minus illi occidendi essent, ac homicidæ: cur .n. cæteri omnes legibus viuere debent, medicus autẽ sine lege? Nam Theologi, ac Pontifices, qui diuina tractant, ac supra leges sunt, legibus et ipsi viuunt: Milites & militũ, Duces quorũ, vel illud institutũ est vt legibus aduersentur, & ipsi legibus coercentur: hoc solum genus hominũ solutũ viuet? absit. Nam Hippocrates legẽ hic constituit, cui omnis medicus subijciatur, quã nõ nisi sub graui pœna violandã Principes, neminẽq; admittendum ad medicinam statuere deberent, nisi illũ, qui omnia haberet, quæ hic Hippocrates in vnoquoq; medico desiderant. fieret .n. tunc vt pauci admodũ, sed præstantißimi reperirentur medici; aut saltẽ coercendi essent ea ratione, vt mercedẽ solum pro sanatis acciperent. Quid .n. inquit Hippocrates mali esset, si mercedẽ auferrent ijs, „ qui medicinæ opera malè administrant? nonne „ ægrotis, qui extra culpã sunt sufficiens esse „

Libro de prçceptionibus.

appa-

„ *apparet violentia morbi nisi medici quoq; imperitia accedat? nam si hoc obseruaretur plures vt boni fierent medici, studerent ea saltem ratione, quã sibi præcipuã proponunt lucrãdi: Cum igitur nulla pœna medicus coerceatur, vnusquisq; prout pecuniæ auidissimus est ad medendũ se contulit, vnde hominum resultat pernicies: vnũ inquit Hippocrates restare videbatur, quod ignaros medicos ab instituto retrahere posset, nempè ignominia & infamia quã sibi comparant dũ ægros misere perdunt: sed cum illi sint prorsus impudentes conuitia iniuriasq; parui faciunt: & quod magis refert, cõ scientia prorsus sunt destituti, vnde hæc consequentia fit necessaria, est malus medicus, ergo flagitiosus & pessimus homo, quippe qui spe lucri tractus, Deum, & homines contemnit.*

Tex. Simillimi enim huiusmodi medici sunt personis, quę in tragœdijs introducuntur. Quemadmodum .n. figuram quidem, & habitum, ac personam eorũ, quos referunt habent, illi ipsi autem verè non sunt. Sic & medici fama, quidem & nomine multi, re autem & opere valde pauci.

A*Ppositissimo exemplo habitum, ac formã illã exponit, sub qua praui latitantes medici*

dici vulgũ decipiunt: ſimile .n. quidpiã in ijs ſpectare licet, quale in Comicis, & Tragicis conſpicitur: ibi n. videbis nonnullos formam, habitum, ac veſtitũ & Imperatorum, & Regũ, aut cuiuſpiã alterius adamuſsim præſeferre, ſub qua pueros & homines parum eruditos decipere poſſunt, arbitrantes tales re vera illos eſſe, quales repreſentant. ſic mali medici, ſub quadã curandi forma latitantes tales ab ignaris hominibus iudicantur reuera eſſe, cum ſint potius vmbra medicorũ, quàm medici. ſi verò hanc formã ſub qua latitant cognoſcere cupis, illam tibi ex Hippocratis verbis exponam, dũ de acutis loquitur morbis, ait .n. qui medici non ſunt, medici eſſe videntur propter hos morbos, facilè .n. eſt nomina addiſcere, quæ proferri ſolent apud ægros his morbis affectos, ſi quis .n. ptiſanam nominauerit, aut vinũ, aut mulſam, eadẽ & meliores & deteriores medici dicere videntur, hæc ille. cum igitur vterq; & bonus & malus medicus eandẽ medẽdi formã ſeruare videatur, dum vterq; ptiſanã vinum, mulſam exhibet, dum vterq; purgationẽ & ſanguinis miſsionem adhibet ægrotantibus, eo fit, vt malus medicus officium medici boni

Prim. acutorum.

præſta-

præstare videatur: at multũ interest inter vtrumq́, nã peritus prædicta omnia cum ratione exhibet, ignarus verò casu, ac temerè id præstat: propterea hic medicus sophistæ rationem obtinet, dũ talis videtur, & reuera non est: at ille artis potentiã potius ex operibus, quã sermonibus ostendere mauult: atq́ veluti medicorũ imperitorũ infinita est multitudo, ita peritorũ valde exigua reperitur. est .n. triplex medicorũ classis prima eorũ, qui vndiq́ perfectissimi existunt, at hi naso, vt aiũt, numerari possent: de his inquit Hippocrates sunt valde admodũ pauci, quæ res ex eo patet, quod inter tot medicos quos habet vniuersa antiquitas paucorum admodũ extat memoria celebris: secunda medicorũ classis est eorũ, qui quiduis aliud sciunt, quam medicinã, atq́ horum infinita est multitudo, fortasse ob hominũ peccata: tertia classis mediocrium est, quorũ etiam numerus non multus est: quod si quis causam quærat, cur primæ illius classis, adeo pauci reperiantur, eã explicat Galenus hoc pacto: Quod accidere solet, inquit, athletarum plerisq́, qui cupiunt quidẽ in Olympicis victores euadere, cæterum vt id assequantur nihil se exercent, curantve. tale

Lib. quod bon. medicus debet eẽ optimus philosophus

K quid-

quidpiam quãpluribus medicis vsu venit : nã „
laudant quidem Hippocratẽ, ac medicis omni „
bus illũ anteponunt: vt autẽ similes illi euadãt „
quiduis studio habent potius quam hoc. quippe „
qui ne legunt quidem illius cõmẽtaria, nec si id „
efficiunt, intelligunt quæ dicũtur: aut si quis id „
quoq; assequatur, non perducit speculatiuã ar „
tis rationẽ ad experientiã, vt confirmet quod „
didicit, quorum alterũ si desit necesse est sui v- „
niuersi studij ac instituti fine frustetur: nullũ „
enim nunc nasci qui natura satis cõpositus sit „
ad perdiscendam artẽ tam familiarẽ, tamq; a- „
micam humano generi dictu absurdum vide- „
tur, cũ idem sit nunc mundus, qui olim: proba- „
bile tamen est, ob prauã educationẽ qua hodie „
instituuntur mortales, & ob diuitias virtuti „
antepositas, ita neminẽ amplius existere qualis „
fuit vel Phidias inter statutarios, vel Hip- „
pocrates inter medicos. „

Tex. Quisquis enim medicinę scientiam sibi rectè comparare volet eum his ducibus sui voti compotem fieri oportet natura.

SI medicus ignorantiã illam fugere cupit ob quam ars ipsa infamis redditur simul cum

artifi-

artifice, legẽ ſibi ſeruandam proponat: quam mox Hippocrates ſubiungit: quã ſi obſeruauerit ad ſummũ medicinæ apicẽ nullo negotio aſcendet. Primum igitur, quod in medio veluti fundamentũ requiritur eſt natura, quæ ad artẽ medicã ſit aptiſsima. ſed illud obiter notãdum eſt, Hippocratem hic medicinã, quam ſuperius artem appellauit, ſcientiam nuncupare, quoniã vtroq; nomine explicari poteſt, licet propriè ars ſit, vt ſuperius eſt à nobis abundè demõſtratum: ad rẽ igitur redeuntes, dicebamus naturã primò in medico eſſe neceſſariam: propterea videndum eſt, quid per hanc naturã Hippocrates intelligat: ſed id explicari cõmodè nõ poteſt niſi prius ſignificata huius nominis naturæ in medicũ afferamus: non. n. vno modo, nec ſimpliciter natura dicitur, ſed multifariam: ac primò natura dicitur Deus Optimus Maximus, ſecundùm quã ſignificationem naturã dicimus omniũ rerum parentẽ optimam, & ipſam nihil fruſtra facere. ſecundò natura dicitur vniuſcuiuſq; rei forma quæ principiũ motus eſt actiuum eius rei in qua eſt. tertiò natura dicitur materia, quæ illi formæ ſubijcitur, quæ patiendi eſt principium in re ipſa cuius ma

teria dicitur. quartò natura appellatur cuiusque rei essẽtia, quæ per definitionẽ explicatur. quintò natura dicitur corporis cõstitutio, qua significatione intelligit Hippocrates, dum ait naturam bonum habitum esse quæ motum alienũ non acquisiuit: sed valde congruũ ex spiritu & calore ac humorũ concoctione, sic eos mori in quadam constitutione asserebat, quorum natura ad tabem vergebat: vbi naturæ nomine corporis constitutionẽ intelligit. sextò dicitur natura corporis tẽperies, quæ ex quattuor elementis optimè cõmixtis conflatur, quã idem author intelligit: dum ait tẽperiem illã omniũ animalium esse naturã, generariq; singula & interire secundùm eandẽ rationem, quod illorum natura ex quattuor elementis confletur. septimò dicitur natura consuetudo, quã intendit idem author: dum naturã in macrocephalis cũ consuetudine conspirare ait ad acuta capita efformanda. octauò dicitur natura calidũ innatum, quem intelligit idẽ dum ventres natura calidissimos hyeme ait esse: nec .n. vt inquit Galenus, aliud ab initio animal efformauit, postea auxit: & vsq; ad mortẽ enutriuit: de quo calore loquens Hippocrates ait, videtur

Lib. præceptionũ.

Prim. epidemior.

De natur. humana.

De aere, aquis, & locis.

1. Aphor. Apho. 15.

" detur, inquit, mihi id quod calidũ vocamus im Libro de
" mortale esse, cunctaq; intelligere, & videre & carnibus.
" audire, & scire omnia præsentia præterita &
futura. Dicitur & vltimo loco natura, illa facultas, qua corpus animalis & hominis regitur, siue illa ad animã, siue ad corpus, aut ad vtrumq; pertineat, cuius facultatis supradictũ calidum innatum est instrumentũ vniuersale, quæ vis seu facultas pro diuersa instrumentorũ natura diuersa in homine operatur, ac diuersimode ob id est nuncupata: dicitur. n. hæc facultas intelligens, sensatrix, motrix, generans, nutriens, augens, aßimilans: atq; hæc illa naturæ est, quã vbiq; medico imitandam proposuit
" Hippocrates: dũ ait quo natura vergit eo du- 1. Aphor.
" cere conuenit: hæc illa natura est, quæ stimula- Apho. 21
" ta: ac impulsa artis peritis quæ facienda sint
" demonstrat: cogit autẽ partim coalitum in no De arte. in fine.
" bis calorẽ, pituitam per ciborũ, ac potuum acri
" moniã diffundẽs: quo intelligat medicus, quid
" sibi visum fuerit de illis: quæ vt viderentur ab
" ipsa machinata sunt: hæc spiritum veluti de-
" latorẽ tum vijs arduis tũ cursibus accusare et
" prodere cogit: quæ et sudores per prædicta edu
" cens ac excludens humorũ calidorum exhala-
tionem

6. Epidemior. tionē perficit: Hæc illa natura est, quæ nullo ”
magistro usa ea; quibus opus est, facit, quæ mor ”
borum est curatrix; cuius medicus est minister: ”
atq; hac significatione intelligit Hippocrates naturam dum illā in medico desiderat, facultatem scilicet hominis, non sanè omnem, sed illā: quæ maximè ad animalem partē spectat: quæ nil aliud esse videtur: quam naturalis quædā potentia ad medicinam tum cognoscendam: tū faciendam.

In prædicamentis capit. de qualitat. Duplex .n. est in nobis operandi principiū, ut docet Aristoteles: alterum est secundùm quod nullo magistro usi prōptè ac facilè quidpiam facimus: & hoc potentia naturalis dicitur: ut si quis facilè addiscat, pingat, currat, saliat: absq; ulla discendi, currendi, pingendi aut saliendi doctrina: Alterum operandi principium est, quo perægrè & cū difficultate quidpiam facimus, quæ naturalis dicitur impotentia: naturam igitur quam in medico desiderat Hippocrates: est illa naturalis facultas, qua cōmodè aptè expeditè ac prōptè omnia quæ ad medicinam spectant facilè cōparat: quam ubi quispiam non habuerit ad aliud potius animū applicet ne oleum & operam perdat: huc spe-

ctat

ctat illud adagium: tu nihil efficies inuita Minerua: de qua natura loquens Hippocrates, „ principalissimum (inquit) omnium natura „ est: nam si hæc adfuerit, qui artibus animum „ applicant per omnia penetrare possunt: natu„ra enim diffluit ac confunditur cum sapientia „ ad cognoscendum ea quæ ab ipsa natura facta sunt. Cæterum huius facultatis necessitatẽ si quis ostendere velit id hac ratione cõmodè faciet: si dicet nil generari posse nisi prius apta ad suscipiendam formam in materia fiat dispositio: Cum igitur medicinæ formam in homine introducere sit propositum: certa quædam requiritur dispositio, sine qua nunquam introduci poterit, quæ dispositio illa natura est, quã diximus propterea ea veluti fundamentum primum in medico vt in cæteris alijs artificibus sit oportet: Quare optimè consultũ esse ab illis patribus arbitror, qui filiorum naturã propensionem, ac inclinationem diligenti speculatione examinant, quò illos postea ad illas facultates instituendos curent, ad quas nati esse videntur, quam naturã qui secũ adiunctam habet admirabilis prorsus redditur: nec. n. aliud Alexandrum illum Magnum, Cæsarẽ, Pompeum,

Libro de prçceptionibus.

peum,

peum, cæterosq́ in re militari celebres reddidit, quam hæc quã diximus naturã: Hæc Policretum, Phydiã, Praxitelem, Apellem, reliquosq́ eius farinæ statuarios, ac pictores ad summũ gloriæ fastigium perduxit: Hæc in dicendi facultate Demosthenem, Ciceronem suprà omnes Rhetores, immortales fecit: Hæc Poetarum maximum illum Homerũ, & post eũ Virgilium inter cæteros poetas immortalitati donauit: Hæc quoque natura inter philosophos Platonem, & Aristotelem veluti vberrimos totius philosophiæ fontes nitidissimos vniuersi posteritati admirandos præbuit: Hæc deniq́ illa est natura quæ Hippocratem, Galenũ in medicina cum immortali laude, ac perenni memoria ad sydera vsq́ euexit, quos omnes adeo celebres fuisse, arbitrandũ est, quod ab vtero matris naturalẽ illã ad facultates, quas profitebantur potentiã contraxerint, qua qui orbati fuere nullo nomine digni iacẽt, eo destituti foco, qui omnes difficultatis caligines cõsumit. Si igitur plures imperiti medici reperiũtur, in causa illud certè est, quod hac ipsa destituãtur natura, quippe qui ad aurigandũ vel remigandum sint potius, quam ad medẽdum aptiores.

Tex. Doctrina.

NOn ſatis fuerit, medicũ naturã illam habere, quam adeo neceſſariã diximus, ſed requiritur prӕterea, vt cum illa natura doctrinam coniungat: non .n. per potentiã illam naturalem, quà facillimè quis operari poteſt, artifex dicitur, ſed per habitum, quẽ vel doctrina, vel inuentione ſibi cõparauit: quӕ autẽ ſit hӕc doctrina, quam Hippocrates in medico poſt naturam exoptat, cõmodè explicari non poteſt, niſi aliqua in vniuerſum de doctrina tradamus. Doctrina igitur nil aliud eſſe videtur, quam docentis actus: quo conceptuũ à prӕceptore cõmunicatio ad diſcipulos fit: ſed dicitur etiam doctrina habitus à quo ille actus emanat, qua ratione dicimus aliquẽ in facultate quapiam doctum eſſe & excellentem & plurimũ doctrina valere. tertiò doctrina dicitur inſtrumẽtum, quo prӕcipuè ad docendum vtimur, qua ratione definitio, diuiſio, reſolutio, demonſtratio doctrinӕ dicuntur. quartò ſumitur doctrina pro docendi modo, quem aliquis in docendo obſeruat: quo pacto tres ait Galenus eſſe, reſolutiuam, compoſitiuam, ac definitiuam. quin Pri. artis medicæ.

tò doctrina pro ordine accipi potest, quem quispiam in docendo obseruat. Cum verò Hippocrates dicit doctrinam medico necessariam fore, habitum illum intelligere oportet, qui in cognitione consistit theorematum omniũ ad artẽ necessariorum sic tamen, vt qui hanc perfectè habuerit alias omnes doctrinas habere sit necessarium: qui .n. habitum habet doctrinæ, facilè conceptus discipulis cõmunicare potest: nec etiam fieri potest: vt aliquis medicus verũ habitum habeat, nisi instrumenta habuerit, per quæ habitum acquisiuerit, optimamq́; obseruauerit discendi methodum & ordinem. Vult autem Hippocratres hanc cognitionem rerum ad medicinam attinentium: ita in medico esse debere, vt appellari poßit doctrina: appellatur autem doctus medicus, cum docere potest: nam signum scientis est posse docere.

Hanc verò cognitionem bifariàm sibi comparare potest medicus, aut per cõmunicationẽ, aut per inuentionem: si per cõmunicationem, id vel fit voce a præceptoribus, vel scriptis ex libris de medicina conscriptis, de quibus omnibus dicendum est, quoniam hæc cuncta necessaria sunt ad doctrinam illam, de qua loquitur

Hip-

Hippocrates. Quod igitur ad præceptorem attinet in eam curam totis viribus incumbat medicus oportet. vt præceptorem sibi deligat, qui vniuersam artem exactè teneat: sitq́ non modo in vniuersalibus exercitatus, sed in particularibus consumatissimus: omniaq́ illa in se habeat, quæ in optimo quoq́ medico desiderari possunt: Nam diligens doctusq́ præceptor tales quoq́ parit discipulos: ignarus verò & imperitus tales quoq́ efficiet discipulos: sunt .n. ut paulò post docebit Hippocrates dogmata præceptorum, veluti semina, quæ si praua fuerint: nunquam bonos fructus producent: hanc rem optimè nouerũt antiqui, qui nil magis sibi, vel maioris nogotij fore putarunt: quam vt optimos in qualibet facultate præceptores haberẽt, quos vt adirent maria, terrasq́ peragrarunt, sic Pithagoras è Samio ad Ægyptum, vt Magos conueniret nauigauit, ad quos etiam Plato recurrit, Appollonius Indiam petijt ad Genosophistas: hanc quoq́ rem tanti fecit Galenus, vt vehementer glorietur se præceptores habuisse in omni facultate doctissimos, inter quos maximè laudat Satyrum, & Pelopem, Corinthum nauigauit: atq́ in Ægyptum se cõtulit, Tertio de locis affectis.

vt Quinti medici discipulos alloqueretur: proinde infœlices ego sẽper illos iuuenes iudicaui, qui vel aliorum artibus, vt assolet: seducti aut à seipsis re parum animaduersa præceptoribus se addicunt, à quibus nihil vnquã emolumenti sint accepturi: quæ res cum tanti momenti sit, parumq́ animaduersa, non mirum si tam pauci docti euadant.

Ex præclara Toleti Doctrina 1. phisic.

Quod verò ad doctrinam attinet, quæ ex libris medicis habetur, hìc admonendi sunt optimè iuuenes medicinæ studiosi, quorum gratia hæc exarauimus, ne librorũ diuersitate, numeroq́ confundantur, sed sibi deligant actorẽ, qui & doctrinæ præstantia methodoq́ plurimũ valeat. Vagatur .n. mens, cum nullum certũ authorem sequitur in multos, ac inutiles libros distracta, nil frugi aut emolumenti vnquàm ellicere potest: vnũ igitur sequi authorẽ maximè oportet: à quo veluti à fonte vberrimo omnia hauriantur quo instructi ad præceptores audiẽdos se conferant, non veluti solent quamplurimi, qui dum doctor explicat ac dicit animũ ad scribendum applicant: qui labor inutilis prorsus est: nam mens tota scriptis intenta nihil apprehendit, deinde multi ad scribendum tardi

præce-

præceptorem non aſſequuntur dicentem, & ſi quis quoq; id aſſequatur, cũ mentes audiendo excolere debuiſſent, tum ſcriptis caſtigandis, tum erratis corrigendis ipſam veri inueſtigationem intermittere coguntur. Et cũ ſæpe falſa cum illis ipſis dubiæ fidei monimentis conſignent, hærent ſæpe nec illis ſatis fident, nec certum aliquid ſibi perſuadent. Turpis præterea plerunq; notarũ forma, deprauata ſigna, lituræ innumeræ, & ſordida illa non tam literarum, quàm liturarũ ſæpè congeries, plurimum egregia eorum ingenia retardant. Sed concedamus etiã, vt omnia adamuſsim ſcribãt, quæ dicendo doctor profert ad quid obſecro ad audiendum ſe conferunt: nã ea quæ ſcripta ſunt ſine doctore vllo contemplari poſſunt: vox. n. viua mentẽ magis perficit, quàm mortua: propterea ſunt tota cogitatione audiẽdi præceptores, ſcriptorũ verò tanta eſt copia in vnaquaq; facultate, & præcipuè hoc noſtro ſæculo, vt nil amplius ſcribendum relinqui videatur, è quibus vt dixi aliquem ſeligere oportet: veluti optimũ ducem, eiusq; doctrina imbuti ad audiẽdas præceptorum voces, attento animo ſe conferãt adoleſcentes: quod ſanè conſilium ratione primo in-

D. Hieron. in princip. Bibliorum.

mo inuentum prudentiæ, deinde vtilitatis plenum esse doctißimorum hominum authoritas, & longo temporis vsu experientia cõprobauit. Vidimus .n. non rarò iuuenes qui hanc in suis studijs rationẽ sunt sequuti, vel quã ipsa ætas ferebat sapientiores euasisse, cunctosq́; condiscipulos longè superasse, mirabilesq́; progressus fecisse.

Quod verò ad eam doctrinã, quæ inuentione comparatur attinet, nil est quod illis dicã, qui omnia ab antiquis rectè fuisse inuenta, ita pro comperto habent, vt nil amplius aut addi, aut inueniri posse putent. quasi immensum illud diuinæ sapientiæ pelagus paucis quibusdã hominibus veluti in angustißimo vasculo contineatur. qui verò melius sentiunt doctrina illa quidẽ antiquorum roborati multa inuenire possunt, multa deniq́; excogitare, quæ ne antiqui quidem somniarunt: hoc tam præclarũ munus illi mehercle solum præstare possunt, qui libero ingenio præditi veritatem solum scrutantur: quod cũ se fecisse scribat Galenus, mirũ non est, si talis tantusq́; euaserit: ego .n. inquit non solum in Hippocratis scriptis, sed etiã in omnibus antiquorum libris obseruo, vt non temerè

Sexto epidemi 2.

„ merè quæ quisq; ipsorum dixerit, probem: sed
„ experientia, ac ratione verumnè, an falsum
„ sit, quod scripserunt examino, seruos verò, ac libertinos vocat, qui se alicui scriptori ita adixerunt, vt inconsideratè, ac temerè credant, quæ quisq; illorum tradidit. Veritatem igitur omnibus anteferre is debet, qui aliquã rem tractandam sibi proponit, & vt omnia facilè consequi valeat, methodũ quandã habeat in qua se exerceat, vt certa quadam via, arte, & ratione doceat, inueniat, & scribat.

Tex. Moribus generosis.

HÆc verba in quibusdã exemplaribus nõ inueniuntur, omittit ea Cornarius, admittit Caluus: fortasse quod in græco suo codice reperirentur: illa tamen nõ omittenda esse existimaui, tum quod doctrinæ Hippocratis sint consentanea, tum etiã quod sine illa generosus medicus non esset, quẽ maximè hic describere intendit. tertium igitur, quod in medico expostulat, sunt generosi mores, qui vel ad virtutẽ attinent, vel ad totã medici formã, de quibus omnibus dicemus, ac indicabimus, quæ in se medicus habere debeat, vt generosis moribus

prædi-

prædictus esse dicatur: & quod ad virtutes attinet illud primũ medicus in mentẽ habere debet, vt arte non abutatur, esset .n. ille non medicus, sed carnifex, veneficus, & fera bellua, qui in aliud artẽ transferret, quã est inuenta: inuẽta autem est medicina ad hominũ salutẽ, non perniciem, auaritia tamen, & libido plurimis occasionẽ fortasse præbuit id scæleris obeũdi, propterea medicũ Galenus admonet, vt sobrius, pecuniæq́; cõtemptor sit, neq́; enim fieri potest (inquit) vt qui diuitias contemnit, & sobrietatem suscipit aliquod absurdum cõmittat: quidquid .n. facinoris audent patrare homines, aut auaritiæ persuasu, aut voluptatis fallacia patrant: quamrẽ respiciẽs Hippocrates iureiurando primũ discipulos adstringere prius erat solitus eos medicina sincerè & ad hominũ salutem, tantùm esse vsuros, nemini non modo venenum propinaturos, sed nec ad rẽ illam consilium daturos, nec aliquorum præces, pecuniamve tanti facerent, vt pessum ad fœtũ in mulieri grauida perdendum darent, aliud ve quidpiam molirentur, quod in ægrorum iuuamentum non esset: iustus præterea sit oportet medicus ad omnẽ conseruationẽ: iustitia enim

Prim. methodi.

In iuramento.

Hippo. de decenti ornatu.

" enim multum auxiliari videbitur: non .n. exi
" gua comercia ægris cum medico sunt: nã seip-
" sos medicis subditos faciunt, & omni hora mu
" lieres, virgines: & maximi pretij opes illi oc-
" currũt: continenter igitur ad omnia hæc se ha
" bere oportet: liberalis deinde sit medicus opor- Hipp. lib. de præceptionibus
" tet, nec .n. de mercede tam sollicitus sit, quã de
" hominum salute, sic vt quandoq; gratis curet,
" ita vt potius ingratitudinis accuset ægrũ, quã
" æger, illum auaritiæ, & si occasio ferendæ opis
" se obtulerit peregrino et egeno maximè talibus
" opituletur: si enim fuerit erga homines amor,
" aderit etiam erga artem: bonus enim medicus
" per Iouem fide magis quam duritia medetur,
" res enim laudabilis sanè est homines curare sa
" nitatis gratia: ita vt ægrotantes gloriẽtur seip-
" sius medici liberali præstata opera sanitati fuis
" se restitutos: & vt in vniuersum dicam, medi Hippo. de decẽti ornatu.
" ci graues esse debent, solertes, affabiles ad sui
" similes, temperati ad omnes seditiones, ad ta-
" cendum animo obfirmati, continentes ad tem-
" pus appositi, ad occasionẽ arripiendam accom
" modati, ad victũ frugales, patientes ad tẽporis
" expectationem, ad sermones expediti, omnia
" demõstratione profitentes, suauiloquentes, gra

tÿs affecti, hæc ad generoſos mores omnia ſpe-
ctant, ad quos etiã illa reduci poſſunt, quæ ad
medici formã attinent: qua hominũ & ægro-
rum captet de ſeipſo exiſtimationẽ: quorſum
Hippo. de medico. ſpectat illud vt videat medicus quo bono colo-
re, & bona corporis habitudine ſit præditus iu
xta exiſtentẽ in ipſo naturã: vulgus enim exi-
ſtimat eos qui non ſic bene diſpoſitũ corpus ha-
bent: nec alÿs bene proſpicere poſſe: vnde illud,
Medice cura te ipſum, vel etiã opinionem ca-
ptet apud vulgum veſtitu decoro vnguentis o-
doratis non ſuſpectum odorẽ habentibus, figu-
rã faciei habeat meditabundam, ac ſubtriſtẽ,
non tamen amarulentẽ, cõtumax enim eſſe vi
debitur, & homines odio habens: qui verò in
riſum exolutus eſt, ac nimium hilaris oneroſus
iudicabitur: & ſi quando ad captandam homi
In præceptionibus nũ opinionem diſputatio de rebus medicis ſe of
ferat: non tamen id valde glorioſè faciat non
cum teſtimonio, ac oſtentatione: impotentiã .n.
induſtrÿ laboris oſtendet: quo verò de ſe exiſti
mationem apud ægrotos pariat meminiſſe opor
Libro de decẽti ornatu Hip. tet: cum ad ægrotantẽ ingreditur habitus ſub-
miſsi, amictus compoſiti, authoritatis breui lo
quentiæ, vt nihil cum perturbatione faciat aſ
ſeſus,

„ *ſeſus, diligentiæ reſponſionis ad ea quæ occur-*
„ *runt, & ad tumultos oborientes compeſcendos*
„ *conſtantiæ apud ſeipſum increpationis ad tur-*
„ *bas caſtigandas, prõptitudinis ad miniſteria,*
„ *& omnia hæc facere oportet placidè, expeditè*
„ *cũ miniſterio ita vt plura ægroto occultet, hila-*
„ *ri, ac ſereno vultu ipſum conſoletur, quo eum à*
„ *ſuis cupiditatibus auertat, ſimul cum amaritu*
„ *dine & contraria iſtantia increpando, ſimulq́;*
„ *cum cõmonefactione, ac dexteritate ſuſcipien-*
„ *do, ac conſolando: gratificationes etiã quæ non* Sexto epi
„ *magnopere lædunt, & facilè corrigi poſſunt æ-* dẽ. Hipp.
„ *grotantibus non ſunt denegandæ, veluti eſt pu*
„ *rè præparare cibos, frigidã concedere: vbi hoc*
„ *opus eſt tonſuræ, capillorum, & vnguium odo-*
res: quæ omnia ad captandam beneuolentiam,
ac opinionem conducunt, atq́; his omnibus in-
ſtructus cum fuerit medicus moribus generoſis
præditus dici poteſt.

Tex. Loco ſtudijs apto.

SI quis doctrinam eã, quam adeò neceſſariã in medico poſuimus paruo negotio aſſequi maximè eſt cupidus ille, inquit Hippocrates locum eligat oportet ad medicinæ ſtudium aptiſ-

ſimum, talis quippe fuerit ille in quo omniũ facultatum peritiſsimi homines reperiuntur, qui ab omni alia cura ſemoti animũ ad doctrinam ſolum applicent: ſit præterea locus is ab omni occaſione ſemotus quæ liberũ animum à naturali cõtẽplatione auocare poſsit: ſic antiqui loca quædam ſtatuebant, quaſi cœnobia in quibus doctorum virorũ copia omniũq; virtutũ exemplo iuuenes inſtruendos curabant: nec .n. fieri poteſt vt ſi animus diuerſis affectibus teneatur aliquid vnquam emolumenti in doctrinis efficiat: ſi enim vel ira, vel ſpe, vel metu, aut triſtitia gaudio, vel amore, aut alia quapiã affectione, & perturbatione laboret, eo intentus, ac diſtractus ad contẽplationem reditur ineptiſsimus: quam rem hiſce noſtris tẽporibus conſiderãtes illi quibus hæc præclara cura fuit, vt iuuentutem in omni diſciplinarũ genere inſtituendã curarent loca quædam non admodũ frequentia deſtinarunt, in quibus doctiſsimis quibuſq; viris acerſitis vt vnuſquiſq; ad illam facultatem quã maximè velet inſtrueretur: inter quæ præclarum hoc noſtrum Piſanũ Gymnaſium tanquã fulgentiſsimũ lumen omnis doctrinæ, radia per vniuerſum orbem diffundit

quò profectò, nullum vel præstantißimorũ virorum frequentia magis refertum, vel legibus magis temperatũ, vel ad discendũ aptius, vel omni fere nationi, quæ nostris literis oblectetur ad cõmeatum accomodatius in tota Europa reperiri potest: id totum post Deũ Optimum Maximum debemus omnes literarum studiosi Cosmo illi Mediceo Maximo immortalis memoriæ Principi fœlicißimoq; Æturiæ Magno Duci, qui veluti nil intentatum reliquit, in quo aliquid splendoris, virtutis, aut dignitatis elucescere poterat, ita primus Academiã hanc iniuria tẽporum deuastatã instaurauit, maximaq; diligentia exiccatis padulosis locis hunc aerem saluberrimũ reddi curauit, ac omnium pulcherrimo Gymnasio extructo, incredibili benignitate, summa liberalitate, maximis præmijs omnes ad illud traduxit quos in omni sciẽtiarũ genere præstantißimos agnouit, quod patris egregium consiliũ Franciscus Medices Magnus Æturiæ Dux potentißimus adeo vsq; est prosequutus: vt hac ipsa de re cum genitore optimo certare videatur, veluti in cæteris omnibus, quæ Magnus ille Cosimus omnis sapientiæ, virtutis, & splendoris quasi viua

exem-

exēpla cunctis sequenda Principibus reliquit, cuius sanè opera adeò floret hæc Pisana Academia, vt locū eum quem in medico ad studia aptissimum Hippocrates desiderat, vel sola, vel maximè obtineat.

Tex. Institutione à puero.

LOcum studijs aptum ad doctrinam medico dixit esse necessariū in quo cōmodissimè artem perdiscat: sed addit modo institutionem à puero esse comparandā: nam si hæc tempore opportuno non inciperet: inanis postea fieret omnis labor. Institutio autem vel pertinet ad mores, vel ad disciplinas, vtraq; à puero fieri debet: quod vt melius intelligatur, scire oportet, septem esse hominis ætates: infantiam quæ ad septimū annum extenditur: pueritiam quæ ad decimū quartum: adolescentiā quæ ad vigesimum primū: iuuentutē quæ ad trigesimū quintum: cōsistentiam ad quadragesimū secundū: senectutem ad sexagesimū: decrepitatem vsq; ad finem vitæ. Debet autem fieri institutio à septimo anno: nam ab eo termino incipit pueritia. & quantū ad mores spectat, quia veluti vas quo semel imbutū est semper seruabit odorem,

rem, ita pueri ætas illa tenera illos seruabit mores in quibus ab eo tẽpore est enutrita: propterea inquit Salomon, adolescens iusta naturam suã & cum senuerit non recedet ab illa, proinde dum est tẽpus, ad virtutem verberibus inflãmandi sunt: quoniam vt idẽ ait, qui parcit virgæ, filij animã odit, qui verò percutit, animam illius lucratur: institui quoq; debet eo tẽpore in lectione, & scriptura, inde ad Grãmaticam, Rhetoricam, ac Mathematicam vsq; ad vigesimũ annum, postea ad Logicã, & Phisicã se conferat quibus omnibus instructus medicinam aggrediatur: nam si ad illam accesserit omnibus prædictis imbutus dubio procul bonus ac perfectus Medicus euadet.

In prouerbijs.

Ibidem.

Tex. Industria.

HÆc pars in medico adeò est necessaria, vt quamuis reliqua omnia habeat ad illam perfectionem peruenire non posit, quam in ipso maximè desiderat Hippocrates: est autẽ industria, quædã prudentia, cautio, ac diligentia, seu solertia per quã medicus ita omnia sibi comparat vt suum officiũ exactè præstet, & à nemine calumniari posit. Erit igitur ille me-

dicus

Hippo. de decẽti ornatu.

dicus industrius, & impiger, qui firma memoria medicamenta tenebit, ac simplices facultates & descriptas si modo tales extarint & qui in memoria habebit morborum curationes, & horũ modos, quotupliciter & quomodo in singulis sint. Hoc .n. principium est in medicina & medium, & finis: præparata quoq; habebit omnia Malagmatũ genera ad singulos vsus: & potiones quæ incidere possunt descriptione paratas iusta genera: in promptu quoq; habebit ea quæ ad medicationem pertinent ad purgationes sumpta de locis congruis, & parata eo quo conuenit modo iuxta genera & magnitudines ad vetustatem ferendam seruata: recentia verò iuxta temporis occasionẽ & alia iuxta rationem. His .n. ita præparatis hoc cõmodum habebit medicus, quod vbi ad ægrum ingreditur animo incertus non erit, cũ apposita habeat singula ad id quod faciendũ est: tunc enim cognitum habebit antequam ad ægrotum veniat quid facere oporteat: pleraq; enim non ratiocinatione sed auxilio opus habent, quia occasiones in medicina variæ sunt & multæ quẽ admodum etiã morbi & affectiones & horum curationes: maximè verò repẽtinæ sunt in ijs,

Hippo. 1. de morb.

quibus

" quibus animo defectis opitulari oportet: et qui
" neq; vrinã, neq; stercus egerere possunt, & qui
" suffocantur: & si mulierẽ parientem, aut sau
" ciatã liberare oporteret: hæ quidẽ occasiones
" repentinæ sunt & paulo posterius non sufficiũt,
plerunq; .n. paulo posterius pereunt: propterea
medicus si fuerit industrius, & omnia per illã
methodũ superius dictam parata habeat, ante-
quam homo animã efflet, opitulabitur. Turpe .n. valde est in tali casu medicũ hærere, &
auxiliandi occasionẽ præterire: industrius iti-
dẽ erit ille medicus, qui vbi ad curationẽ acce
dit morborũ naturam rimatus: illos tantùm
curabit, qui sanari possunt incurabiles non at-
" tinget: omnes .n. affectiones sanare imposibi- Pri. prog. Hipp.
" le est: quidã .n. moriuntur, statim, antequam
" medicum vocent, alij accito statim deficiunt:
quidã paulò posterius, at industrius medicus mo
rituros ac saluãdos dignoscens culpa vacabit,
& si manus auxiliares adhibet morbis despe-
ratis cũ protestu id facit, atq; ita ad morbos re
media cõparat, vt ad extremos morbos extre-
ma adhibeat remedia: ad mediocres, medio-
cria: ad leues, leuißima. Industrius ille quoq;
erit medicus, qui prudentiam adhibet, ac de-
xteritatẽ, vbi morbum non cognoscit: nam si id

Hippo. de locis in homine.

quandoq; contingat: medicamentũ præbet non forte, si itaq; leuior inde fiat demonstrata via est, quod gracilitatem inducendo curandus sit: si verò non leuior reddatur, sed peius habeat cõtraria facienda dicit, & si non profuerit gracilem facere, tumidũ facere intendit, ac frequenter id permutat: et hoc consiliũ facit, vt si quid in morbis permutaturus est forti quidem ægroto, debili autem morbo, tunc quidẽ fortiori quã morbus est medicamento vtitur, nam etiam si quid de sano abducet vna cũ debili, ac ægroto nullum detrimentũ sequetur, si verò morbum fortiorem: ægrotũ autem debilẽ inuenerit debilioribus pharmacis curat quæ quidem ipsum morbũ superent, & abducant: ægrotũ verò nihilo debiliorẽ reddant. Vtitur quoq; industria medicus, dum morbũ non cognoscit alterũ accersiri iubens: nec .n. in decore ille se geret medicus, qui in rei præsentis angustia circa ægrũ aliquẽ & imperitia tenebras offundente alios quoq; accersere iusserit quo ex cõmuni consideratione res circa ægrum inquirantur ac cognoscantur & illi cooperatores fiant ad auxilij ferendi facultatẽ: nam in afflictionis aßiduitate, augescente affectione ob consilij inopiam plurima ad rẽ præsentem effugiunt: sed industius

Hipp. lib. de præceptionibus

medi-

medicus maximè obseruat si quando in consilio pro auxilio ferendo cum altero conuenit, vt nunquã affirmando, aut mutuis inter se conuitijs certando id faciat: hoc .n. iureiurando affirmare possum, inquit Hippocrates, quod me- Ibidem.
„ dici rationinatio nunquã alteri inuidere pote-
„ rit: imbecillis .n. hoc modo apparuerit: sed hæc
„ magis expeditè faciunt hi, qui circa forẽsia ne-
„ gocia ac quæstus versantur, quamquã nec fal-
„ so hoc cognitũ fertur quod in omni copia inopia inest. industrius itaq; medicus solam veritatẽ, & ægri salutem. dum ad consilium accersitur quærere debet non ostentationẽ, sed vocare socium medicũ, non solum vbi morbus non cognoscitur solet industrius medicus, verum in alijs quampluribus casibus: vt quando sanandi vnicũ est remedium solũ, sed illud vitæ periculũ minatur: vt in ijs contingit, qui magnũ in vescica lapidẽ habent, ac ita affliguntur, vt sectio sit necessaria: item si æger princeps est, aut vnicus filius hæres, vel si consanguinei illius ægri truculenti homines sint, & ipse æger iracũdus. in omnibus his casibus, licet sociũ aduocare medicum ne si quid mali contingat id in medicũ reijciatur. Industrius itidem medicus humani corporis inconstantiã cognoscens ingressu fre- Hippo. de decẽti ornatu.

quenti ad ægrotantẽ vtitur, visitat diligentius ,,
ijs quæ per errorẽ contingere possent occurrens, ,,
vt mutentur, quo etiã facilius cognoscat, & ex ,,
peditior fiat: instabilia .n. sunt quæ in humidis ,,
consistunt: quapropter etiã facile & à natura ,,
& à fortuna mutãtur: neglecta .n. ea, quæ circa ,,
occasionẽ tẽporis administrare oportebat impe ,,
tu suo progressa occupant, ac perimũt, nec inde
Ibidem. postea reperitur, quod opẽ ferat. Industrius itẽ
medicus ægrotorũ quoq; peccata considerat, per ,,
quæ multi sæpe mentiti sunt in assumendis ijs ,,
quæ ingerenda exhibentur, postquã exosas po- ,,
tiones non accipientes, aut pharmacis datis, ,,
aut alia curatione adhibita perẽpti sunt, cuius ,,
Hippo. 1. prædictio num. facti culpa non ad ipsos ægrotos, sed ad medicũ ,,
refertur: obseruat quoq; ea peccata, quæ in vi- ,,
ctu cõmittunt ægri: necesse .n. esse dicit eos qui ,,
vberiori potu vsi sunt magis difficulter spira- ,,
re et plus vrinæ eijcere: qui verò sorbitionẽ, & ,,
cibum auxerunt magis sitire & febrire, si ve- ,,
rò vtrisq; & potu, & cibo immodicè vsi fue- ,,
rint ad hoc quod febriunt, et difficulter spirãt, ,,
ventrem etiã circuntentum & maiorem habe ,,
re: per hanc etiã industriã illorum malitiã de-
teget medicus, qui vel vt ipsos illuderent, aut
ob aliã quãuis causam se ægrotare fingunt: per

hanc

" hanc industriã quid fututũ sit in morbis præ- " nos̄cit, præsentia, præterita, & futura consi- " derans: per quæ fidem facit quod ægrotorũ res " magis cognoscit: audẽt .n. tunc ipsi medico se " cõmittere, illiq́ obedientiã præstant: propterea " industrius medicus ægrotũ iubet mente non tur " bari, quod ad salutis tempus perueniat, ne ob " dolorificam affectionem desperati seipsos vita " exuant: non tamen sic, vt quidpiã præsentiũ, " aut futurorũ ipsis indicet: pleriq́ enim ob hanc " causam in vtramlibet partẽ compulsi sunt re- " latã videlicet prædictionẽ præsentium aut futu " rorum. Industrius itidem medicus cognoscens " quantũ referat ad curationẽ astantes habere " ritè comparatos, eos seliget solũ, qui periti sint " in arte, vt instent ægrum ne præceptis amaru- " lente vtatur, & quod mandatũ faciãt, & quæ " vtilia sunt addant aut securè offerant, imperi " tis autem nihil vnquã procurandum cõmittit: " ne eius quod mali fecerint vituperium in seip- " sum recidat: per hanc etiam industriam, vbi " pharmaca purgantia exhibet sollicitus est: nã " cum pharmaca alicui dare volet siue deorsum " siue sursum purgans: interrogat ægrũ an bibe- " rit prius medicamentũ, an aluus ex deorsum " purgãtibus facilis sit, aut celeriter obediat, aut

Hippo. 1. prognost.

Hippo. de pręceptionibus.

Hippo. de decẽti ornatu.

Hip. ibid.

Hipp. lib. de medicamentis purgantibus.

dura,

dura, & si citã, ac facilem solutu dixerit mollioribus & paucioribus medicamentis vtitur: si verò dura fuerit, fortioribus: idẽ in sursum purgantibus obseruat: quod si nunquam neq; sursum, neq; deorsum se purgatũ esse dixerit, neq; medicamentum bibisse: considerat: an ad ea quæ in corpus, dum sanus erat ingeßit aluus deorsum solutu facilis fuerit: aut sursum versus apposita ad vomitionẽ, & an ad repletionẽ aliquam, alui profluuium ipsi successerit: hæc enim omnia interrogat, vt rectè consulat quid sibi faciendũ est, non ignorans quod eodem medicamento purgante aliquando purgatur homo, & non purgatur: quandoq; verò alia purgat, quæ non purgare solet: aliquando nimium purgat: aliquando verò ea quæ debet facit, propterea industria maximè in hac re vtitur medicus: ne aut medicamento purgante dato hominem cum turpi calamitate occidat, aut id quod intendit non efficiat. Deniq; per hanc industriam medicus omnia impedimenta remouet: cuncta ad artis necessaria prõpta sibi facit, cunctaque cum prudentia speculatur, vt cum magna gloria rectißimè arte vtatur.

Tex.

Tex. Tempore.

DEus Optimus Maximus, cum supra omne tempus sit constitutus, nec vlla successiua progressio in eo considerari possit: vndiq; sibi præsens solus & vult, et agit in vno eodemq; momento, at homo cũ in tempore & sit, & viuat, nil operari potest nisi secundum temporis successionem: tẽpus propterea velut ad quãuis eius actionem, ita ad medicinã requiritur: eoque longius quò ars medica omnium aliarũ artiũ sit longissima: idq; vsque adeò vt tota vita eius respectu veluti breuis esse censeatur: longitudinis autem ratio, tum ex multiplici rerũ cognitione, tũ ex longa, ac necessaria exercitatione desumitur: nam vt inquit Galenus, si per vnum signũ, vel plura etiam firmiter de omni morbo coniecturam facere possimus: non vtiq; Hippocrates artem longã statuisset, quasi velit ob longã experientiam, & multarum rerum considerationem artẽ longam euadere, id ipsum Hippocrates optimè explicauit: dũ ait medicinam citò addiscere est impossibile: propterea quod impossibile est, statã ac certam doctrinam in ipsa fieri, veluti verbi gratia, quis scribere didicit iuxta vnum modũ quẽ omnes

Libr. 1. de crisibus.

De locis in homi.

docent,

docent, nouit (semper enim sibi constant aliæ artes cum non mutentur ab occasionibus) medicina verò nunc & paulo post non idem facit, & ad idem contraria facit: nã aluum subducentia non semper hoc faciunt, & aluum subducentia vtrumq; faciunt: quinimo & morbus per contraria tollitur: tollitur etiã & per similia: propter hãc igitur instantiã multiplex varia, ac longissima requiritur exercitatio, multiplex deniq; ac longũ studium, quibus tanta varietas dignosci possit: propterea temporis longitudo artem præuiam, ac facilem reddit.

Hipp. de decẽti ornatu.

Tempus igitur ad medicinam recte assequendam est necessarium, atq; illud longum omnino esse debet: quam rem considerans Galenus

1. Meth.

in Thessalim his verbis inuehitur, quòd facere Romæ erat solitus imperitissimus Thessalus, eò etiam temeritatis progressus, vt sex tãtum mensium curriculo traditurum se totam artem medicam profiteretur citra vllam aliarum disciplinarum constitutionem. Quamobrem ipsius facilitate alecti sutores, texores, fabriq; seruilibus opificijs relictis cateruatim hodie sese ad artem sacratissimam conferunt in perniciem humani generis.

Tex.

Tex. Primum quidem igitur omnium natura opus eſt. Natura enim repugnante, irrita omnia fiunt: ſi verò natura ad optima viam demonſtret, artis doctrina facilè contingit.

PRopoſuit ſuperius conditiones omnes eius legis quam à medico ſeruandã conſcripſit, naturã ſcilicet doctrinam, mores generoſos, locũ ſtudijs aptũ inſtitutionẽ à puero, induſtriã, & tempus: nunc ſingulas partes explicare aggreditur, ac primũ de naturæ neceſſitate agit, probatq; illam eſſe fundamentum præcipuum, ablata enim natura illa, ſeu naturali illa potentia, quæ ad omnia facilem viã parat omnia irrita, ac coacta fiunt: eam .n. proportionem ad medicinam habet illa natura, quã habere ſolet materia proxima ad formam quampiam ſuſcipiendam, quemadmodũ .n. in tali materia facillimè, & nullo negotio forma introducitur: ita hæc naturalis potentia in homine ſe habens medicinæ formam aptiſſimè recipit, & quemadmodũ ita ſe habent materia, & forma vt alterum alteri auxilietur ad perfectum efformandũ compoſitum: ita natura medici, & doctrina ſe ſimul adiuuant ad perfectum medicum producendum. Quemadmodum .n. ex forma & materia optimè diſpoſitis res ipſa na

ſcitur abſolutiſsima, ita ex hac potentia naturali, & doctrina medicus cõponitur vndequaque præeccellens: ſed ſi materia fuerit male diſpoſita in naturali cõpoſitione monſtra naſcuntur: ita ſi inepta fuerit hominis natura ad medicinam, monſtruoſus naſcitur medicus, quorũ non parua copia reperitur: quippe qui ad arandum, quam ad medendum ſint aptiores.

Tex. Quam ſanè cum prudẽtia ſibi comparare oportet, ita vt à puero inſtitutio accedat, atque id in loco à natura ad diſciplinam apto.

DOctrinam neceſſariam vltra naturã eſſe dixit, quã maximè ſibi comparare debet medicus: propterea ſi prudens fuerit, omnia illa perquiret, quæ facilẽ, ac perfectam doctrinã parare poſſunt: hoc .n. officium prundentis eſt, vt propoſito fine, media ad finẽ conſequendũ aptiſsima inueniat, inter quæ inſtitutio à puero, & locus ſtudijs aptus primũ locũ obtinent.

Tex. Amplius autem & induſtriã adhibere oportet, eãq; ad multum omnino tempus, quo diſciplina ipſa inſita, feliciter, & cum profectu fructus ſuos producat.

NOn ſatis eſſe diximus ei, qui ad ſummum medicinæ faſtigiũ peruenire cupit, ſi doctrinã cum natura coniunxerit, niſi poſtea induſtriam adhibeat: eamq; ad multum omnino

tempus,

tempus, tunc .n. fructus ars dignißimos producet. Sumenda autem est huius rei similitudo ab agricola: hic .n. dum plantã pullulantem ex primo iniecto semine in terra, spectat, non contentus ea diligentia quam circa plantæ generationẽ adhibuit, rursus industriè laborat: tum auxiliando, tum extrinseca impedimenta remouendo, vt planta fructus suos producat: idq́; per omne illud tempus, quod ad fructus producendos requiritur: sic medico satis non est laborasse multũ: vt medicam doctrinam sibi cõpararet: nisi postea industria vteretur per quam omnia promptè, expeditè, ac securißimè medicinæ opera efficiat.

Tex. Qualis enim eorum quę terra producit consideratio est, eiusmodi etiam disciplinę medicinæ per omnia similiter existit: natura enim nostra velut ager est.

E*Orum similitudine, quæ in agricultura reperiuntur Hippocrates omnia quæ in medico necessaria posuit, declarat. Agricultura enim terra, seminibus, seminãdi opportuno tẽpore, aere ambienti, cultura, & tempore continetur: ita medicina, natura, doctrina, loco studijs apto, institutione à puero, industria, & tẽpore definitur, sic vt singula singulis correspondeant per quam aptißimè. Rectißimè autem*

Hippocrates medicinam, ad agriculturam cõparat: conueniunt .n. primo in operatione, quæ est ad finẽ, in qua etiam cum nauigandi peritia, et militia conuenit, ea namq; ratione, qua agricultura sanis alimenta, militia militibus victoriam, ars nauigandi nautis portum, ea etiam ratione medicina ægrotis sanitatem promittit. Habent .n. istæ artes operationum suarũ principia nõ solum in artificibus, sed etiam in alijs quibusdam rebus, ac maxime in fortuna: vnde non mirum est si agricola non semper colligit: nauta nauigat: miles victoriam assequitur: & medicus sanitatem. Age igitur & singula explicemus, quæ in medicina sunt, dũ ad agriculturam referuntur: primum igitur, quod agricolæ est necessariũ terra est, seu ager in quo operatur, ad cuius similitudinem est natura illa, quam in medico adeo necessariam posuimus: terra .n. veluti omne seminarium esse videtur omnium eorum quæ ex mixtione gignuntur, ac præcipuè plantarum: sic natura illa veluti materia quædam est, & omne seminarium omnium cognitionũ, quod omnes rerũ formas in se suscipiat, & ex susceptis alias producat, quasi terra folia, flores, fructus, omnis generis procreans, & quemadmodum terra si

optimis qualitatibus fuerit prædita facili nego tio omnia producit, praua verò vt arenosa, pa dulosa, saxosa, arida: sterilis prorsus redditur, ac ad producendum inepta: ita natura illa si in medico potens fuerit cuncta producet, quæ ad medicinam attinent: eaq́ per quam facilè, at si imbecillis ineptaq́ existat, vel nullo modo, vel imperfectè: & cum magno labore, quidque effatu dignum præstabit.

Tex. Dogmata præceptorum velut semina sunt.

ARs nil aliud esse videtur, teste Quintilia no, quam multorum præceptionũ seu dog- matũ collectio ad vnum finem tendentiũ, vna- quæq́ enim ars sua habet theoremata, & præ- cepta quibus vtitur ad suũ finẽ consequendũ. Est autem theoremata vniuersalis propositio, quæ vel sensu, aut ratione, aut intellectu cogno scitur. Debet autem omne theorema in primis verum esse: secundò vtilè: tertiò iactis funda- mentis consentiens, quas omnes conditiones do gmata præceptorũ habere debent, quæ veluti se mina se habent ad illam naturã: quatenus .n. in cõprehensionem cadit omne theorema, eate- nus verum sit oportet: falsi namq́ comprehen- sio nulla est, quatenus verò ad finẽ aliquem vi

Gale. in traſibulo

tæ com-

tæ commodũ pertinet: eò vtile esse, est affirmã-dum, & quemadmodum sub vno Principe sub ditorũ multitudo mente concipitur, sic & theo rema ipsum ad anteactum principiũ refertur: est autem idem, præceptio, regula, therema, et dogma, licet ratione destinguantur, & sunt ve luti semina, quæ agricola ad producendas plã-tas in terram immittit, dũ à præceptoribus in discipulorum naturã transeunt, & in his theo rematibus, ac propositionibus omnis doctrina medica continetur, quam doctrinam cum na-tura esse coniungendam superius diximus.

Tex. Institutioni à puero cum eo conuenit, quod oppor tuno tempore semina in aruum cadere oportet.

SI quis semina ad producendũ in agrũ mit-tere velit, tempus quodã opportunũ, inue-niat est necessarium, quod ad illam operam ef-ficiendam, sit aptum: nisi .n. tẽporis arripiat occasionem, vana prorsus omnis eius cura red-deretur, sic & qui medicus futurus est, neces-se est vt instituatur à puero, ne extra temporis occasionem ad medicinam accedens eam conse qui minime posit. Valde enim alienum est, inquit Hippocrates, vt quispiam iam natu grandis addiscat.

Libro de decẽti or-natu.

Tex.

Tex. Locus autem in quo disciplina contingit, est veluti ambiens aer, a quo è terra nascentibus nutrimentum accedit.

COmparat Hippocrates aerem ambientem loco studijs apto: parat.n. non secus nutrimentum animo locus studijs aptus, ac aer ambiens, plantis quæ in terra nascuntur: sed explicandũ est, quomodo ex aere ambienti nutrimentũ suppeditetur plantis, in cuius gratiã scire oportet, duplex alimentum plantis suppeditari: alterum quippe à terra ipsa: alterum verò ab aere ambienti, quomodo autem id desumant plantæ à terra, omnẽq; generationis modũ ita declarauit Hippocrates: & .n. semen vbi deiectũ fuerit in terram, humiditate quadã ab ipsa impletur. Habet autem in se terra omnigenum humorẽ, vt nascentia nutrire possit: impletũ autem semen humore, inflatur, & intumescit, & vis quæ in semine leuissima est ab humore condensari cogitur: condensata autem à spiritu vis, & humore folia producente semen rumpit, & primũ folia foras emergunt: vbi verò emerserint, cũ non amplius ab humore in semine existente folia nutriri possint, rũpitur inferne semen, itemq; folia, & semen in folijs coactum vim suam ad inferna demittit, Libro de nat. pueri

quæ

quæ videlicet in ipso restat propter grauitatẽ, „
& fiunt radices ex folijs distentæ. Postquam „
autem planta iã firmiter radices inferne ege- „
rit, & alimentum à terra sumit: Hæc illa est recondita Hippocratis philosophia iuxta plantarũ ortum, in qua patet, quomodo à terra alimentum illis suppeditetur, at quomodo ab aere id nascatur nunc dicendũ est: & primo alimentum est aer, plantæ, ea ratione qua omnia elementa illi id præstant: òmne .n. mixtum ex mixtis nutritur, quoniã ex illis nutrimur, ex quibus conflamur, at cũ planta mixtum quodã sit ex elementis quattuor, ideo ex illis viuere debet: in terra .n. omnia elementa confusa reperiũtur: aqua .n. in terræ cauernis, & aer semper est præsens: quinimo & ignis, vt docet Hippocrates:

Arist. lib. de gener. & corru.

Libro de carnibus.

videtur .n. mihi inquit ille, id quod „
calidũ vocamus immortale esse, huius autẽ plu „
rima pars cũ turbata essent omnia, in supernã „
circumferentiã secessit, & videntur mihi ip- „
sum veteres æthera nominasse, altera pars in- „
ferna appellatur terra frigidũ quid, & siccũ, „
& multis motionibus obnoxiũ, & in hac sanè „
multũ calidi inest, alibi quidẽ maior, alibi ve- „
rò minor: hæc ille. Quæ sententia tum ex montibus ignẽ euomentibus, tum ex sulphureis, &

ferue-

feruentibus locis abundè probatur. Est secundo aer alimentũ plãtis, quatenus ex eo fit aqua tum pluuia, tum subterranea: à qua potissimũ cum terra illæ nutriuntur, à quo etiã dicuntur viuere quatenus ex aere fit, tũ ros, tum pruina ob frigiditatẽ noctis densato: vnde plantæ quasi cœlesti manna seruantur: sed ea etiã ratione, qua aer animalibus præbet nutrimentum dũ transpiratu suo calorem conseruat & auget, ita & planta aerem attrahit ambientem, vt calorem innatum conseruet, ventilet, & tueatur. Adde postremam maximam necessitatis causam: nam per aerem omnis virtus cælestis in hæc inferiora communicatur sine qua nil generari, aut conseruari potest: ideo oportuit mundum hunc in inferiorem cum superiori contiguum fieri: vt omnis inde virtus guber naretur: nec enim semen, solum generat plantam, sed semen, & sol, veluti homo cum sole hominem generat. Aer igitur superioris virtutis delator nutrimentũ ad hæc inferiora adducit, quo omnia imbibuntur & luxuriant nascentia, ad cuius aeris similitudinem locus studijs aptus intellectum medici nutrit, doctrinã generat, generatam auget, & ad perfectum finem perducit.

Aristo. 1. metheor.

Idem 2. phisicor.

Tex. Industria cultura est.

CVltura dicitur illa perennis cura, quam adhibet agricola, tum ad semina opportuno tempore terræ danda, tũ postquam ortum semen est ad illud custodiendũ, quo fructus producat exoptatos: ad cuius culturæ similitudinem industria est in medico per quam doctrina comparata omnibus nititur modis, vt sanitatem quoad fieri potest, tum seruet, tum restituat.

Tex. Tempus postremùm hæc omnia corroborat, vt perfecte enutriantur.

NOn statim vbi nata est planta fructus reddere potest, sed cum ætatẽ quandam adepta fuerit, atq; in suo vigore constiterit: hæc .n. omnium quæ nascuntur & intereunt conditio esse videtur, vt tota nascantur tempora, primum est ortus, & augumenti tẽpus, in quo imbecillia, & debilia conspiciuntur: alterum verò vigoris in quo omnia robur, & perfectionẽ suam acquirunt: tertium verò decrementi in quo virtus eorum labitur. Has tres ætates plãtæ habent, quæ tria earũ tempora dici debent, at non in quouis tempore planta ad fructus est apta: sed in vigore, propterea tempus requiritur

tria nascuntur

tur quod plantā ipſam corroboret, tēpus etiam in quo flores, fructuſque producat. Sic progreſſus in medicina tempora habet: in primo non eſt aptus medicus ad opera medica, ſed in ſecundo, dum omnia artis præcepta & multorum experientiam eſt conſequutus: licet id in in medico peculiare ſit, vt quo magis progreditur, eò perfectior euadat, quod in ætatibus non reperitur.

Tex. His igitur ad artem medicam allatis, & vera ipſius cognitione comparata, tandem per vrbes ob ambulādo, non ſermone tantum, ſed & opere medicos haberi conuenit.

ADdit nunc Hippocrates ad omnia ſuperius enarrata peregrinationem, quæ ſanè adeò medico eſt neceſſaria, vt ſine illa, vix quidem eā perfectionē in arte adipiſci poſſit, quā maximè deſiderat. Quod conſiderātes optimi quiq; medicorū varias regiones luſtrarunt, diuerſaq; loca maria: & terras adierūt. Paulus .n. Ægineta celebris medicus rē hanc tanti fecit: vt uel ex eo ipſo opus ſuū, quod de medicina conſcripſit cōmendari, et probari ab oībus putarit, propterea in frōte operis hæc poſuit vt teſtimonia.

Pauli laborē noſce me quid plurimas (
Inuiſit orbis terras Ægina ſatus.

Quasi ad veram medicinam assequendã peregrinatio optima sit via: Hippocrates totã ferè vitã in peregrinatione cõsumpsit, dum per vniuersam Græciã artem exercuit: vnde inter cætera medicũ admonet, vt ad peregrinationem omnia præparata habeat. Dioscorides artem militarem exercuit, quo per varias regiones medicamenta occulata fide prospiceret: vt ipse de se ipso loquens ad Arium, inquit, nos à iuuentute iugi desiderio materiæ cognoscendæ alecti per multis regionibus perlustratis (nec.n. nescis nos vitam militarem exegisse?) tuo hortatu commentationem hanc fecimus. Galenus Alexandriam, Italiam, lemnum contendit, totamq; vitã in peregrinatione ferè consumpsit: nec etiam fieri potest, vt medicus perfectè Chirurgiam assequatur, nisi peregrinatus fuerit, vt inquit Hippocrates: consequens enim est, ait, in Chirurgia vulnerum in militia acceptorum, circa extractionem telorum. Nam in vrbanis conuersationibus modicus horũ vsus existit: raro enim per omne tempus ciuiles, ac hostiles expeditiones fiunt: Huiusmodi autem sæpe, ac frequentissimè circa externas militias fieri solent. Qui igitur hac Chirurgia vti volet, eum militare oportet, & externos

Libro de decẽti ornatu.

Libro de Medico.

exer-

exercitus ſequi, ſic enim exercitatus fieri poterit ad huiuſmodi vſum, ac neceßitatem. Quamobrem omnibus prænarratis conditionibus medicus cum munitus fuerit, natura ſcilicet doctrina, moribus generoſis, inſtitutione à puero, loco ſtudijs apto, induſtria, & tempore, peregrinationem adiungat: tunc enim perfectißimus euadet: nam in diuerſis regionibus diuerſa, variaque morborum genera viſuntur, diuerſæ medendi formæ, diuerſa remediorum genera, medici quoq; varij reperiuntur: quibus omnibus ditißimus in arte euadet, ita vt non ſolũ iam nomine, ſed & opere medicus habebitur. Quis verò ſit medicus opere, ex De ſubfiratio. empirica.
plicatur à Galeno ad hunc modũ. Non minus
,, *autẽ hunc admirabuntur homines, quã Hippo*
,, *cratẽ, ſi operibus magnum ſe in arte præſtabit,*
,, *melius, quam reliqui faciunt: luxata ſcilicet*
,, *emendans, & quæ luxationi parata ſunt in va*
,, *lidiorem, ſtatum permutans, vulnera, & fra-*
,, *cturas, & vlcera, & quæ alij curare non po-*
,, *terant ipſe facilè ſanans, nec minus, quæ ægro*
,, *euentura ſunt ante euentum præfatus, & quæ*
,, *euenerint, ad ſuntuè, ita eueniſſe, vel adeſſe*
,, *ſine percunctatione, aut relatione coram a-*
,, *ſtantibus explicet, ijs enim officijs Hippocates*

Tex. Induſtria cultura eſt.

CVltura dicitur illa perennis cura, quam adhibet agricola, tum ad ſemina opportuno tempore terræ danda, tũ poſtquam ortum ſemen eſt ad illud cuſtodiendũ, quo fructus producat exoptatos: ad cuius culturæ ſimilitudinem induſtria eſt in medico per quam doctrina comparata omnibus nititur modis, vt ſanitatem quoad fieri poteſt, tum ſeruet, tum reſtituat.

Tex. Tempus poſtremùm hæc omnia corroborat, vt perfecte enutriantur.

NOn ſtatim vbi nata eſt planta fructus reddere poteſt, ſed cum ætatẽ quandam adepta fuerit, atq; in ſuo vigore conſtiterit: hæc .n. omnium quæ naſcuntur & intereunt conditio eſſe videtur, vt tota naſcantur tempora, primum eſt ortus, & augumenti tẽpus, in quo imbecillia, & debilia conſpiciuntur: alterum verò vigoris in quo omnia robur, & perfectionẽ ſuam acquirunt: tertium verò decrementi in quo virtus eorum labitur. Has tres ætates plãtæ habent, quæ tria earũ tempora dici debent, at non in quouis tempore planta ad fructus eſt apta: ſed in vigore, propterea tempus requiritur

tur quod plantã ipsam corroboret, tẽpus etiam in quo flores, fructusque producat. Sic progressus in medicina tempora habet: in primo non est aptus medicus ad opera medica, sed in secundo, dum omnia artis præcepta & multorum experientiam est consequutus: licet id in in medico peculiare sit, vt quo magis progreditur, eò perfectior euadat, quod in ætatibus non reperitur.

Tex. His igitur ad artem medicam allatis, & vera ipsius cognitione comparata, tandem per vrbes ob ambulãdo, non sermone tantum, sed & opere medicos haberi conuenit.

ADdit nunc Hippocrates ad omnia superius enarrata peregrinationem, quæ sanè adeò medico est necessaria, vt sine illa, vix quidem eã perfectionẽ in arte adipisci poßit, quã maximè desiderat. Quod considerãtes optimi quiq; medicorũ varias regiones lustrarunt, diuersaq; loca maria: & terras adierũt. Paulus .n. Ægineta celebris medicus rẽ hanc tanti fecit: vt uel ex eo ipso opus suũ, quod de medicina conscripsit cõmendari, et probari ab oĩbus putarit, propterea in frõte operis hæc posuit vt testimonia.

Pauli laborẽ nosce me quidẽ plurimas (
Inuisit orbis terras Ægina satus.

Quasi ad veram medicinam assequendã pere grinatio optima sit via: Hippocrates totã ferè vitã in peregrinatione cõsumpsit, dum per vniuersam Græciã artem exercuit: vnde inter cætera medicũ admonet, vt ad peregrinationem omnia præparata habeat. Dioscorides artem militarem exercuit, quo per varias regiones medicamenta occulata fide prospiceret: vt ipse de se ipso loquens ad Arium, inquit, nos à iuuentute iugi desiderio materiæ cognoscendæ allecti per multis regionibus perlustratis (nec.n. nescis nos vitam militarem exegisse?) tuo hortatu commentationem hanc fecimus. Galenus Alexandriam, Italiam, lemnum contendit, totamq; vitã in peregrinatione ferè consumpsit: nec etiam fieri potest, vt medicus perfectè Chirurgiam assequatur, nisi peregrinatus fuerit, vt inquit Hippocrates: consequens enim est, ait, in Chirurgia vulnerum in militia acceptorum, circa extractionem telorum. Nam in vrbanis conuersationibus modicus horũ vsus existit: raro enim per omne tempus ciuiles, ac hostiles expeditiones fiunt: Huiusmodi autem sæpe, ac frequentißimè circa externas militias fieri solent. Qui igitur hac Chirurgia vti volet, eum militare oportet, & externos exer-

Libro de decẽti ornatu.

Libro de Medico.

exercitus sequi, sic enim exercitatus fieri poterit ad huiusmodi vsum, ac necessitatem. Quamobrem omnibus prænarratis conditionibus medicus cum munitus fuerit, natura scilicet doctrina, moribus generosis, institutione à puero, loco studijs apto, industria, & tempore, peregrinationem adiungat: tunc enim perfectissimus euadet: nam in diuersis regionibus diuersa, variaque morborum genera visuntur, diuersæ medendi formæ, diuersa remediorum genera, medici quoq; varij reperiuntur: quibus omnibus ditissimus in arte euadet, ita vt non solũ iam nomine, sed & opere medicus habebitur. Quis verò sit medicus opere, explicatur à Galeno ad hunc modũ. Non minus

De subfiratio. empirica.

" *autẽ hunc admirabuntur homines, quã Hippo*
" *cratẽ, si operibus magnum se in arte præstabit,*
" *melius, quam reliqui faciunt: luxata scilicet*
" *emendans, & quæ luxationi parata sunt in va*
" *lidiorem, statum permutans, vulnera, & fra-*
" *cturas, & vlcera, & quæ alij curare non po-*
" *terant ipse facilè sanans, nec minus, quæ ægro*
" *euentura sunt ante euentum præfatus, & quæ*
" *euenerint, ad suntuè, ita euenisse, vel adesse*
" *sine percunctatione, aut relatione coram a-*
" *stantibus explicet, ijs enim officijs Hippocates*

omnium

omnium posteriorum iuditio Æsculapij gloriã adeptus est: ad quã gloriam illos peruenire medicos non est dubitandum, qui legẽ hanc Hippocraticam seruauerint, atq; huius legis conditiones optimè comprehẽderint: verum quoniã Galenus legem & ipse medico constituit, dum conditiones medico necessarias exquirit, eas nunc explicare est opere pretiũ: inquit .n. septem illi necessaria esse, qui verã medicinã assequi auet, natura scilicet perspicax, educatio optima, Præceptores ingenui, labor non improbus, veritatis ardentissimus amor, optima methodus, exercitatio deniq; assidua, sed omnia hæc sub his quæ hìc ponit Hippocrates comprehenduntur: naturam posuit Hippocrates, educatio optima ad institutionem: præceptores veritasq; ad doctrinam: methodus, laborq; ad industriam, exercitatio ad tempus referuntur.

Libro de const. art.

Tex. Imperitia verò malus thesaurus est, & infelices opes, his, qui eam repositam habent; Et in somnium, aut potius somnium diurnum.

POsteaquam commemorauit omnia Hippocrates quæ in medico exquiri poterant ad verã medicinam assequendam, admonet nũc eum, vt maximè laboret, quo peritissimus euadat, ne ignarus habeatur, artemq; infamet:

igno-

ignorantia certè maximè fugienda est, quoniã malus est thesaurus, & opes sunt infelicissimæ illis qui eam repositã habent: nam vbi non est sapientia omnia corruunt. Habet .n. sapientia vt inquit Salomon à dextris longitudinem dierum, à sinistris diuitias & gloriam: melior enim est sapientia cunctis opibus, & omne desiderabile ei comparari non potest. Quod si quispiã ignarus reperiatur, etiamsi infinitis abundet diuitijs, prorsus infelix iudicandus est: nã vt idem Salomon ait, melior est conditio pueri sapientis, ac pauperis, quã Regis senis & stulti. Sunt .n. diuitiæ inquit Hippocrates tanquam insomnia, dormierunt .n. diuites, & nihil in manibus suis inuenerunt: dicit autẽ esse tanquam insomnia, quia hæc vt plurimum vana sunt: dicit etiam esse non vt somniũ nocturnum, sed diurnũ: nam diurnus somnus confusus est, & perturbationibus plenus, innaturalis, & nociuus: nocturnus è contra, naturalis, tranquillus, & proficuus, quare qui in profundo ignorantiæ versantur: etiamsi Creso ditiores sint, infelices prorsus sunt existimãdi: quã rem Galenus eleganter ita explicat. Qui igitur ex ipsius solo nutu fortunæ pendentes honestissimas artes, & disciplinas, seu virus toruè

In prouerbijs. 3.

Ibidem.

Ibidem.

In oratione suasor.

intuen-

intuentur, cũ interim equos ipsos & canes ar- „
tiũ exercitijs erudiant, famulũ autem ignauũ, „
nulliusq́; peritũ artis, nullo prætio dignũ existi- „
ment, curent præterea agros, & cæteras posses- „
siones vt quæq́; sit quã optimè exculta solos se ip „
sos negligunt, abdicantq́; ab omni liberali insti „
tuto, nec hoc quidem intelligentes animã ha- „
beant nec ne: an non ij quamuis Creso ditiores „
sint abiectissimi existunt, contemptissimisq́; fa „
mulis similes? Eiusdem farinæ videntur qui „
nobilitatẽ sui generis venditant, atq́; tantum „
sibi placentes erigunt cristas, quandoq́; non vi- „
dent infelicissimi, qui generi non respõdent suo „
eos magis contemni, quã obscuro loco natos: si „
quidẽ imperiti qui genere sunt vehementer ob „
scuro, hoc lucri faciunt, quod pleriq́; nesciant, „
quales nã illi sint, at quos decus & claritudo „
generis non sinit latere, quid aliud fructus fe- „
runt ex illa nobilitate: nisi vt eorũ infelicitas „
sit illustrior: proinde si quis sapit, ad artẽ exer- „
cendã se conferat, per quã si nobilis fuerit, vi- „
debitur genere nõ indignus, sin minus suũ ipse „
genus nobilitabit, hæc ille. Sed addamus nos in
ter omnes artes, medicina est præclarissima, er
go illa potissimũ est addiscenda, vt illa ignoran
tia fugiatur, quã adeo detestatur Hippocrat.

Sed

Sed postquã quis se ad medicinã contulit, magnopere niti debet, vt artis quam peritißimus euadat, alioquin si ignarus, & imperitus medicus fuerit, infelix prorsus est iudicandus: etiamsi opibus abundet maximis: ignorantia enim, et imperitia malus thesaurus est.

Tex. Et maximè verum, alacritatis, fiducięque, ac verę exaltationis expers, timiditatisque & audacię nutrix. Timiditas equidem impotentiam, audacia verò ignorantiam artis significat.

NOn solũ in arte medica, sed in vnaquaq; facultate, hoc habet proprium imperitia, vt qui ea maximè vigent, aut timidi, aut audaces, temerarijve euadant, quia ignorantia temeritatis, & timoris est nutrix: at contra peritia, & sapientia sicura graditur, & cum alacritate procedit ac fiducia: timiditas .n. medici, impotentiam artis demonstrat, at impotẽtia ex ignorantia nascitur, à qua etiam audacia proficiscitur. Accedat igitur ignarus medicus ad ægrotantẽ graui morbo apprehensum, & magno: huic certè magna & generosa remedia cõueniũt, at ille timens, remedij occasionẽ prætermittit, & ægrũ occidit: aut è contra, temeritate & audacia quoduis indifferenter adhibens, quasi corpus hominis, aut lignũ, aut

lapis ſit, hominē per temeritatē perdit: nec .n. animaduertit, quā periculoſum ſit experimentū. at doctus & peritus artifex opportunè, & cū fiducia operatur, nō alia certè ratione, quā facere ſolet fortis, ſi ad timidū accedat, & liberalis ſi ad auarum, & prodigum cōparetur.

Hipp. de arte.

Verus .n. medicus ſana mente, ſanoq́ corpore rem aggrediens præſentia conſiderat, et de præteritis ſimiliter iuxta præſentia ratiocinatur in tantum etiam vt palàm ſe gloriari ſoleant ægri ſe illius opera fuiſſe in ſanitatē reſtitutos: hic dum ad ægrotos accedit, iam non anceps et dubius eſſe videbitur, aut temerarius, ſed ad auxiliandum promptiſsimus, in eam toto animo curam incumbens, vt cito, tutoque, & cum facilitate curet: propterea beati illi ægri iudicandi ſunt, qui medico ſe committunt peritiſſimo, & præcellenti. hi enim bene curati, & ſanitati reſtituti fortunati iudicandi ſunt, nō quod à fortuna ſint ſanati, ſed à medico digniſſimo curati: velut infortunati illi ægri iudicādi qui in manibus ignari medici ſe cōſignant, vnde malè curati, aut intereunt, aut difficillimè ſe à morbis explicare poſſunt.

Tex.

Tex. Duo enim ſunt, ſcientia & opinio quarum altera facit ſcire, altera verò ignorare.

CVm vituperauerit ſuperius ignorantiam Hippocrates, eāq; propterea fugiendā eſſe admonuerit, nunc rationē docet, qua quiſpiā id præſtare poßit, dicens duo eſſe, quorum alterū ſcire facit, alterū verò ignorare: ſcientia ſcire facit, opinio verò ignorare, quare ſi medicus curauerit ſcientiā ſibi cōparare: tūc ignorantiā fugiet, alioquin ſi ex opinione ſe ſciens arbitretur, decipietur & ignarus remanebit. eſt verò ſcientia, cognitio certa rei neceſſariæ per ſuam cauſam, ſeu habitus, qui per demōſtrationē habetur: at opinio cognitio rei eſt dubia, & quæ aliter ſe habere contingit, quæ à ſcientia diſtinguitur, tū ex parte obiecti, tū cognitionis: ex obiecto quidē quoniā ſcientia eſt rei neceſſariæ, opinio autē contingentis, quia cognitio ſcientifica eſt certa, firma, & ſtabilis: at opinio eſt dubia, & infirma. Dicit igitur Hippocra. quod per ſcientiā homo dicitur ſciens: at per opinionē ignarus: ſed dices multa ſunt in medicina, quæ per demonſtrationē ſciri non poſſunt, quinimo medicus cōiectura vt plurimū vtitur, tū in dignoſcendis morbis, tū in eorū prognoſticis, Aristo. 1. posterio.

ac curatione: ergo non videtur verum id quod dicit Hippocrates, nisi dicamus artẽ ipsam esse certißimã, quia est theorematũ vniuersaliũ quæ æterna sunt, et semper eodẽ modo se habẽt, sed artifex postea dũ ex illis theorematis operatur, coniectura aliquãdo vtitur, quæ media est inter omnimodã scientiã, & exactã ignorantiã, propterea scientia parit doctrinã in medico totius artis, et nõ opinio, vel coniectura: quòd si etiã non nulla opinione in medicina cognoscũtur, id ad opus artificis refertur: Hippoc. autẽ de cognitione artis loquitur: quod si etiã sententia intelligatur de medico quoad operationẽ: dico verã esse. Duplex n. est opinio, alia quidẽ in experientia fundatur, alia verò ab experiẽtia est seiuncta: intelligit Hippocrat. opinionẽ illam, ignorantiã facere, quæ ab experiẽtia est seiuncta, de qua locutus est in hunc modũ. Opi-

Libro de decẽti ornatu.

nio in medicina maximè in crimen vertitur, ,, ijs verò qui ea vsi sunt perniciẽ affert: etenim ,, si sibi ipsis persuaserint medici, & opus ex disciplina se scire putauerint, quẽadmodũ aurũ ,, adulterinũ igne iudicatum, tales seipsos esse demonstrat. Vel ita exponenda potius sunt verba illa. Scientia facit scire: opinio verò ignorare, idest, qui re vera medici sunt, tales sunt, quia

re ipsa

re ipsa sciunt, qui verò imperiti sunt re vera non sciunt: sed secundũ opinionẽ vulgi tales iudicantur, cũ vere ignari sint, quæ expositio magis est ad mentem Hippocr. quã ipse aperuit dũ reprehendit Abderitas, qui opinabantur Democritũ insanire, cum re vera insanus non esset. Cogitans .n. ille ait, de Democrito somniũ mihi oblatũ habui, ex quo puto nil valde periculosi fore: conuersus .n. video mulierẽ pulchrã, ac magnam simpliciter ornatã, & splendidã, cuius oculorum circuli puro lumine micabant, vt stellarum fulgorẽ putares. Mulier verò illa apprehensum me manu lento gradu benigniter per vrbẽ ducebat, et vbi prope domum essemus, in qua hospitium mihi paratũ esse putabã velut spectrum disparuit, hoc saltem dicens cras te apud Democritum deprehendam, cum verò iam se illa converteret. Rogo inquam optima fœmina quæ nam es, & quo nomine vocari debes? Veritas inquit illa: Cæterum quã accedentẽ vides, (& derepente mihi altera quædã apparuit) neq; ipsa mala videtur audacior aũt aspectu, & concitatior. Opinio inquit appellatur, & habitat apud Abderitas. Ego igitur vbi de somno surrexissem mihi ipsi somniũ interpretatus sum, quod non indigeret medico

In episto. ad Philopemen.

Demo-

Democritus sed ipsa quidē veritas, quod Democritus sanus sit apud Democritum manet: Opinio verò quod Democritus ægrotet apud Abderitas habitat: secundum hanc igitur rationē, & nunc intelligendus est Hippoc. dū ait scientiā scire facere, opinionem verò ignorare.

Tex. Cæterum res sacræ sacris hominibus demonstrantur, prophanis id fas non est, priusquam scientiæ origijs initientur.

Res sacra, qualis medicina est sacris hominibus demonstratur, & non prophanis. Sunt autem sacri homines, qui sobrij sunt, pecuniæ cōtemptores, ac virtute præditi. Prophanis verò voluptuosis, ac flagitiosis hominibus res sacræ non manifestantur, nisi prius scientiæ origijs initiētur, seu virtutis habitu induātur. Verisimile .n. est Omnipotentem Deum, qui verus. & solus medicus est, & dici debet, pijs hominibus bonisq; mentem aperire, lumēq; intellectus illustrare, quo cuncta cognoscant, verāq; rerum notitiā assequantur, nefarijs autem, & scœlestissimis, ita intellectum obcecare, vt semper in tenebris ambulent: Concludamus ergo medicinam omniū artiū nobilissimā esse, propterea inter cæteras, maximè esse addiscendam, idq; eo animo fieri debere, vt qui se ad il-

lam

lam applicat veram ipsius notitiam consequatur, at id consequi nemo potest nisi conditiones huius legis seruauerit, q̃ natura, doctrina, moribus generosis, loco studijs apto, institutione à puero, industria, tẽpore, & peregrinatione definitur, quas conditiones, cũ pauci admodũ medici assequuti fuerint: nõ mirũ sanè est si imperitorum infinitus pene numerus reperiatur, q̃ nõ fieret, si Principes, Magistratus, aut Respublicæ sub grauibus pœnis statuerent: neminẽ in medicina admittendũ, qui præscriptæ Hippocraticæ legis, nõ esset accerrimus obseruator: et certè mirandũ maximè est, si ad cõdenda numismata Principes admittunt tantũ eos viros qui ingenui sunt & industrij, moribusq; integerrimis præditi, cur ad conseruandã, instaurandãq; salutẽ hominũ, quæ quibusuis gẽmis, et margaritis longè præstantior est, non deligant quidẽ inculpatissima ingenia, omnibusq; prædictis cõditionibus prædita, atq; illis solis prouinciã adeò periculosam cõmittant? abigant autẽ illos à tam sacro, & heroico munere, qui ad aurigandum, vel remigandum sunt potius quam ad medendum aptiores, non sint æquè solliciti.

FINIS.

REGISTRVM.

✠ ABCDEFGHIKLMNOPQ.

Omnia sunt integra folia.


ROMAE,

Apud Titum, & Paulum
Dianos fratres.

M. D. LXXXVI.

Corrigenda.

Pagina 114. linea 16. vt tota nascantur tempora.
lege vt tria nanciscantur tempora.



Naturę notiones. 75.